

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (2)

2.3. DE OTTILIENSI TEMPORE INITIALI

2.3.1. De transitu ad locum Emming

Illum locum, quem P. Andreas Amrhein quaesivit, mirum in modum satis celeriter invēnit in dioecesi Augustanā.¹ Episcopus illius dioecesis tunc temporis erat Pancratius von Dinkel.² Qui vir ecclesiasticus non solum ordinibus monasticis favit, sed etiam missio Christiana ei erat cordi. Itaque erat coincidentia vere opportuna, quod occasione, quā episcopus Pancratius Magnum Fleschutz sacerdotem ordinavit,³ P. Andreas Amrhein cum episcopo Augustano con-iunctionem inire valuit. Videtur autem idem episcopus, cum inceptum P. ris Andreae Amrhein ipsi placeret, iam illo tempore ei bona consilia dedisse vel fortasse revera eum invitavisse, ut in dioecesi Augustanā sedem secundariam domūs missionariae conderet.⁴ Tamen hanc



*Pancratius von Dinkel,
episcopus Augustanus.
[Cfr Frumentius RENNER,
Leuchter I (21979), p. B 6.]*

¹ Colonia Augusta Vindelicorum: *Augsburg*.

² Pancratius von Dinkel (1811-1894) natus erat in Franconia Inferiore, anno 1834^o in sacerdotium receptus est. Inde ex anno 1858^o idem erat episcopus dioecesis Augustanae. Tempore «conflictationis culturalis» multos sacerdotes ex Borussiā expulsos in dioecesim suam recepit. Etiam ordinibus monasticis favit. Propter multa bona gesta varii generis idem dicitur saeculo undevicesimo fuisse Augustanus episcopus maximi momenti. - *Cfr* ex. gr. Ekkart SAUSER: s.v. Dinkel, Pankratius von. *In*: Biographisch-Bibliographisches Kirchenlexikon 19, 2001, coll. 179 sq.; LThK 3, 1995, col. 236.

³ *Vide supra* cap. 2.2.4.

⁴ *Cfr* Paulus WEISSENBERGER: Abt Plazidus Vogel und die Anfänge der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. *In*: *Studia Suarzacensia*. Würzburger Diözesangeschichtsblätter 25, 1963, p. 263; Frumentius RENNER: Die Benediktinerkongregation von St. Ottilien. *In*: Ulrich FAUST / Franz QUARTHAL (edd.): *Germania Benedictina*. Bd. I. Die Reformverbände und Kongregationen der Benediktiner

benevolentiam erga P.rem Andream Amrhein et erga eius foundationem missionariam Pancratius von Dinkel usque ad finem vitae servavit atque hunc in modum ille quōque Benedictinis missionariis semper erat maximo emolumento.⁵

Videtur autem P. Andreas Amrhein iam inde ab medio anno 1896^o in dioecesi Augustanā locum aptum quaesivisse, ubi domūs missionariae sedem secundariam condere posset. Talem vero invēnit in viculo Ambinga, qui in regione Landsbergae⁶ situs pertinebat ad vicum Aeresingam.⁷

Digressio: DE BREVI HISTORIA VICULI AMBINGAE

Parvulus vicus Ambinga⁸ atque territorium circumcirca situm videtur historiam satis longam habere, quā homines ibīdem versabantur atque habitabant. Nam ex vestigiis inventis apparet iam tempore praehistorico homines ibi incoluisse.⁹ Primā vice in aliquo testimonio Ambinga commemoratur anno

im deutschen Sprachraum. St. Ottilien 1999, p. 800; Frumentius RENNERT: Der fünfarmige Leuchter. Bd. I. Gründung und Grundlegung der Kongregation von St. Ottilien. St. Ottilien ²1979, pp. 80 sq., qui conexūs ex testimoniis epistulisque dilucide explicat.

⁵ Ottiliani ab initio sciverunt, quid illi episcopo deberent, atque semper gratissimam eius memoriam servaverunt. - *Cfr* ex. gr. Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe eines Missionsberufes. Dritter Teil (1885-1887). *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.): Der Gründer. P. Andreas Amrhein OSB (1844-1927). Schriften. St. Ottilien 2006, p. 146; Paulus SAUTER: Die Benediktus-Missions-Genossenschaft. Rückblick auf die ersten zehn Jahre. St. Ottilien 1894, p. 7; Leander BOPP: P. Andreas Amrhein O.S.B. Der Gründer der Benediktinerkongregation St. Ottilien. St. Ottilien 1954, p. 133; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 91 sq.

⁶ *Landsberg / Lech*. - *Cfr* Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER: Bavaria Latina. Lexikon der lateinischen geographischen Namen in Bayern. Wiesbaden 1971, p. 150.

⁷ *Eresing*. - *Cfr* Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 68.

⁸ *Emming*. - Latinum nomen huius loci in lexico, quod est Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971) non invenitur (neque in aliis Latinis lexicis geographicis). Sed in testimoniis apparet hunc locum ex viro, cui nomen erat Ambo et qui unā cum familiā suā territorium tempore extentionis Germanicae occupaverat, appellatum esse «*Ambingen*» (1135), «*Aembing*» (1420), et postea «*Emmingen*» atque «*Emming*». - *Cfr* Frumentius RENNERT: Eresing mit St. Ottilien. Gemeinde Eresing. *In*: Bernhard MÜLLER-HAHL (ed.): Heimatbuch für den Landkreis Landsberg am Lech mit Stadt und allen Gemeinden. Landsberg ²1982, p. 450.

⁹ Inventa sunt ex. gr. sepulcra Celtica cum variis additamentis. In stagno monasteriali etiam inveniebatur aureus anulus Romanus. Omnia autem testimonia huius generis monasterio anno 1941^o sublato disparuerunt. - *Cfr* Frumentius RENNERT (²1982), p. 450; Franz Julius TSCHUDY / Bernhard SIRCH: Die heilige Ottilie, ihr Leben und ihre

1019^o. Annis 1299^o et 1322^o praedia Ambingensia possessio monasterii Steingadamensis¹⁰ exhibentur.¹¹

Tamen inde ex medio saeculo quarto decimo paulatim plura de loco Ambinga comperiuntur. Illo tempore Ambinga ex duobus praediis constitisse videtur, quorum coloni decumam solvere debuerunt ex uno dimidio ecclesiae Aeresingensi, ex altero dimidio parochia Aeresingensi.¹² Dominus loci eodem tempore erat Otto Greifenbergensis. Iam illo tempore parva cappella Sanctae Ottiliae dicata exstitit, quae erat locus peregrinationis piae.¹³

Sors autem Ambingae erat vere variabilis, cum decursu temporis possessores huius vici saepe mutarentur.¹⁴ Nam usque in annum 1420^{um} locus mansit in possessione Greifenbergensi, deinde ad Bavaricam familiam ducalem pervenit, quae anno 1501^o eundem familiae Perfall beneficium¹⁵ tradidit. Anno 1570^o Benedictus von Perfall praedium beneficium affini suo Iohanni Burchardo von Heimenhofen vendidit, cuius cura cappellae parvum castellum adiungebatur. Burchardo von Heimenhofen vita functo praedium nonnullis possessoribus interpositis anno 1589^o denuo ad familiam Perfall pervenit. Anno 1622^o ab ecclesiae praeposito¹⁶ Bernardo von Gemmingen emptum est. Anno 1654^o Christophorus Michael Mändl, arcarius electoralis Landsbergensis, possessionem suscepit, antequam anno 1684^o Iohannes Udalricus von

Verehrung. Mit Sonderteil: Ottilienkapelle von Emming. Der Ursprung der Benediktinerabtei St. Ottilien. St. Ottilien 1989, p. 26.

¹⁰ *Steingaden*. - Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 222.

¹¹ *Cfr* Frumentius RENNER (²1982), p. 450.

¹² *Cfr* Frumentius RENNER (²1982), p. 450; Maria HILDEBRANDT: *Lebendige Steine. Baugeschichte und Baugeschichten der Erzabtei St. Ottilien*. St. Ottilien 2008, p. 17. - Illius temporis parochus Aeresingensis Nicolaus [*Clas*] Puchprunner de his condicionibus in notitiis rettulit, cum litigatio quaedam iuridica de decumanā instituta esset.

¹³ Hōc ex iisdem notitiis Nicolai Puchprunner comperitur. - Textum Theodiscum exhibent Frumentius RENNER (²1982), p. 450; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 17.

¹⁴ *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 17 sqq.; Frumentius RENNER (²1982), pp. 450 sq.; Franz Julius TSCHUDY / Bernhard SIRCH (1988), pp. 26 sqq.; Viktor DÜRNSTEIN: *Katholisches Missionsleben*. In: *Missionskalender* 1, 1888, pp. 35 sq.

¹⁵ *Lehen*. - *Cfr* DUCANGE: *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis* (Graz 1954) I, p. 629; Laurentius DIEFFENBACH: *Glossarium Latino-Germanicum Mediae et Infimae Aetatis*. Francofurti ad Moenum 1857, p. 71.

¹⁶ *Domprobst*. - *Cfr* Christian HELFER: *Lexicon Auxiliare*. Saraviponti ³1991, p. 432; Albert SLEUMER: *Kirchenlateinisches Lexikon*. Limburg 1926, p. 627.

Füll praedium emit. Īdem autem structuram castelli mutandam curavit.¹⁷ Usque ad annum 1765^{um} familia von Füll Ambingam tenuit, deinde novus possessor erat Cárolus Vilelmus von Ingenheim, qui ad praedium administrandum Matthiam Prändl accivit. Ille vero Matthias Prändl circiter annum



*Castellum praediumque Ambingense anno 1701^o.
Imago ab Michaele Wenning depicta.
[Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 19]*

1770^{um} praedium ipse emit et ĩdem deinde nepoti suo Sebastiano Ludovico Krempelhuber hereditate reliquit. Anno autem 1851^o heredes Sebastiani Ludovici castellum praediumque, quae iam pridem non revera inhabitabantur, Georgio Halbinger Monacensi vendiderunt. Porro inde ab anno 1878^o praedium saepius in manūs aliorum possessorum pervēnit, antequam ĩdem anno 1886^o P.ri Andreae Amrhein praebitum est.

¹⁷ Dicitur fuisse castelli aspectus talis, qualis in imagine Michaelis Wenning anno 1701^o depictā apparet. Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 18. Tamen Leander BOPP (1954), p. 135 scribit aspectum Ambingae in illa imagine esse meram phantasiam.

Quomodo P. Andreas Amrhein notitiam de Ambinga percepit, non prorsus clarum est.¹⁸ Sed postquam praedium castellumque inspexit, locus ad sedem secundariam domūs missionariae condendam opportunus esse ei videbatur et condiciones ei placuerunt, quamvis aedificia essent quadamtenus neglecta neque aspectum splendidum praeberent. Cum P. Andreas Amrhein praedium Ambingense emere constitueret, certe magni momenti ei erat ibīdem pro consociatione missionariā propriam ecclesiam, nempe cappellam Sanctae Ottiliae, exstare.

Itaque P. Andreas Amrhein castellum praediumque adiunctum emit, quae emptio die 23^o m. Nov. a. 1886^o ab tabellione certificabatur. Possestrix autem illo tempore erat Rosa Herrle, quae tamen rem demum die 12^o m. Nov. a. 1886^o sibi comparaverat.¹⁹ Territorium quidem primo emptum constitit ex castello, quod dicitur, atque ex areā viginti quinque hactarearum. Quattuor septimanis post, id est mense Decembri a. 1886ⁱ, P. Andreas Amrhein praedium agricolae Iosephi Wiedemann emit, ad quod praeter domos stabulaeque area quinquaginta hactarearum pertinebat.²⁰ Hunc in modum initium quoddam, quamvis parvum, poni potuit. Tamen status atque condicio aedificiorum, imprimis intrinsecus, non erat nimis bona.²¹

Cum autem cogitemus illo tempore emptionis domum Richopagensem adhuc exstitisse, cuius condicio pecuniaria non erat nimis prospera, quaestio exoritur, unde P. Andreas Amrhein pecuniam sumpserit, quā aedificia areasque

¹⁸ *Cfr* de hac re breviter Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 79; fusius Leander BOPP (1954), pp. 133 sq., qui refert secundum memoriam Andreae Amrhein eundem Monaci fortuito occurrisse Iohanni Maier, proxenētae* cuidam domorum praediorumque, qui de difficultatibus P. Amrhein certior factus praeter alias res ei etiam castellum Ambingense monstravit, quod ipse Maier illo tempore inhabitavit. - De hac re *cfr* etiam Maria HILDEBRANDT (2008), p. 15.

*) *Cfr* ThIL X,2 fasc. XV 2366,68 sqq.: proxenēta, -ae m. is, qui intercedit in negotiis sim. gerendis.

¹⁹ Illa Rosa Herrle videtur socrus Iohannis Maier fuisse. Suspicio autem est eandem castellum praediumque emisse, ne prior possessor animadverteret emptorem definitivum fore institutum quoddam ecclesiasticum. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 134.

²⁰ Ambinga anno 1886^o constitit ex quinque domibus cum areis suis (*cfr* Bernhard MÜLLER-HAHL (ed.) (1982), p. 187). Decursū enim annorum tota possessio in varias partes dividebatur, ita ut etiam agricolae in villis suis rusticis operarentur. De historia singularum villarum rusticarum *cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 24 sqq.

²¹ De statū aedificiorum eorumque mutatione *vide infra*.

Ambingae emeret. Sed etiam hac vice fautores vel potius fautrices invēnit. Nam Maria, Aemilia [*Emilie*] atque Bettina Ringseis, filiae Monacensis Professoris Iohannis Nepomuceni [*Johann Nepomuk*] von Ringseis²², P.ri An-



Aemilia Ringseis.

[*Cfr Bernita WALTER (1985), p. 248.*]



Bettina Ringseis.

[*Cfr Bernita WALTER (1985), p. 248.*]

dreae Amrhein pecuniam creditam praebuerunt.²³ Nisi illae fautrices fuis-

²² Videtur iam inde ex anno 1885^o coniunctio quaedam inter P.rem Andream Amrhein atque familiam Ringseis exstitisse. Ex testimonio libri hospitem apparet P.rem Andream Amrhein mense Augusto a. 1885ⁱ verisimiliter primā vice in domo familiae Ringseis versatum esse. - *Cfr Bernita WALTER: Von Gottes Treue getragen. Die Missions-Benediktinerinnen von Tutzing. Bd. I. Gründung und erste Entwicklung der Kongregation. St. Ottilien 1985, p. 59.*

²³ *Cfr Leander BOPP (1954), p. 135; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 80; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, pp. 14 sq.; Ruth SCHÖNENBERGER: St. Ottilien und Tutzing - Getrennt verbunden. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 185; Laurenz KILGER: Die Missionsgedanken bei der Benediktinergründung von St. Ottilien und die Übernahme der Afrikamission. In: Zeitschrift für Missionswissenschaft und Religionswissenschaft 24, 1934, p. 222, qui etiam adnotat (adn. 51) epistulas ad sorores Ringseis missas pro initiali historia Ottiliensi atque Tutzingensi esse maximi momenti. - Mense Decembri a. 1886ⁱ sorores Ringseis summam pecuniariam quindecim milium marcarum exhibuerunt, mense Iunio a. 1887ⁱ denuo pecuniam creditam quattuor milium quingentarum marcarum dederunt. Postea autem debitum reddendum non iam postulaverunt, ita ut tota summa pecuniaria esset donum. Tamen dominulae Ringseis*

sent, aedificia Ambingensia acquiri non potuissent.

Causas autem deliberationesque, cur Ambingae aedificia areasque ad sedem secundariam condendam emisset, P. Andreas Amrhein aliquando adnotaverat.²⁴ Enumeravit vero idem quinque puncta principalia, quae sunt haec: primo putavit fratres laicos ibidem in agriculturā exercendā melius erudiri posse; deinde existimavit Ambingam situm opportunum habere; praeterea inveniebatur propria ecclesia; porro, cum essent tria aedificia, fratres et sorores, adulti et pueri optimo modo inter se separari potuerunt; denique emolumentum magnum esse putavit illos fratres, qui in regione missionariā fundationem novam instituturi essent, in ipsā patriā in re novā fundandā exerceri posse. - Relatio autem non ita bona cum episcopo Ratisbonensi ibidem non commemoratur, quamvis certe etiam fuerit alicuius momenti.²⁵

Die 10^o m. Ian. a. 1887^o P. Andreas Amrhein Pancratio von Dinkel, episcopo Augustano epistulariter indicavit se Ambingae castellum sic dictum atque duo aedificia rustica emisse insimul gratias ei agens pro omni benevolentia iam praebita atque pro omnibus bonis consiliis exhibitis.²⁶ Tamen duabus septimanis post, id est die 25^o m. Ian. a. 1887^o, P. Andreas Amrhein petitionem officialem ad episcopum misit, quā varias res rogavit,²⁷ nempe ut Ambingae sedes secundaria missionariae domūs Richopagensis institui liceret; ut episcopus ipsum in oboedientiam reciperet; ut permitteretur, ut sanctissimum Sacramentum in altari principali cappellae Sanctae Ottiliae asservaretur; ut permissio daretur, quā domus missionaria cappellā ipsā uteretur; ut episcopus concederet, ut sedes secundaria secundum patronam cappellae, id est secundum Sanctam Ottiliam appellaretur.²⁸

alia quōque beneficia domui missionariae praebuerunt, cum verbi gratiā sororibus Ottiliensibus anno 1904^o monasterium suum in familiae Ringseis areā Tutzingensi exstruere liceret.

²⁴ Hae notitiae leguntur in schedulā quādam ab P.re Andrea Amrhein manū conscriptā verisimiliter mense Augusto vel mense Septembri a. 1887ⁱ. - *Cfr* Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 268; Bernita WALTER (1985), p. 80.

²⁵ De ultimis dissensionibus gravibus *vide infra*.

²⁶ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 136; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), pp. 80 sqq., qui quōque partes quasdam illius epistulae exhibet. Videtur autem ex illo aliisque textibus apparere Pancratium von Dinkel P.rem Andream Amrhein invitavisse, ut in dioecesi Augustanā sedem secundariam domūs missionariae conderet.

²⁷ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 136; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), pp. 82 sq.; Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 264 sq.

²⁸ Talis permissio, quae spectat ad nomen, revera fuisset res magistratum statalium.

Cum propria ecclesia pro domo missionariā P.ri Andreae Amrhein esset maxime cordi, haec rogatio ad usum cappellae Sanctae Ottiliae spectans erat alicuius momenti. Itaque episcopus Pancratius von Dinkel consultationes cum



*Exterior pars cappellae Sanctae Ottiliae ex oriente receptae.
Structura externa decursu temporis non erat mutata.*

parcho Aeresingae iniit, ad cuius ecclesiam cappella Sanctae Ottiliae inde ex anno 1851^o pertinebat. Cum autem ille parochus domui missionariae faveret, satis celeriter cappella P.ri Andreae Amrhein sub quibusdam condicionibus ad usum tradita est.²⁹

Quod P. Andreas Amrhein hanc cappellam Sanctae Ottiliae³⁰ pro fundatione

²⁹ Domui missionariae usus cappellae quidem permittebatur, tamen éadem illo tempore iuridice mansit in ditione parochiae Aeresingensis. Causa autem erat in eo, quod responsales propter priorem Ambingae sortem variabilem periculum suscipere noluerunt, quo missionariā domo fortasse aliquando dissolutā cappelā unā cum castello venderetur. - *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 136 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 83 sq.

³⁰ Sancta Ottilia (660-720) in Alsatiā nata erat filia Ducis Adalrici eiusque uxoris Berswindae. Cum éadem nata esset caeca, eius pater eam interficiendam curare voluit, sed eius mater filiam servavit, quia eam monasterio non longe ab Vesontione [*Besançon*] sito tradidit. Secundum legendam puella in baptismate ab Erhardo episcopo Ratisbonensi praebito valorem oculorum recuperavit. In illo monasterio tamen erudita est. Nonnullis annis post fratre adiuvante domum revertit, qui reditus fratri erat calamitosus, quia pater filium, qui contra iussa paterna egerat, interfecit. Ducem tamen

suā accepit, non solum propter usum ecclesiae propriae erat magni momenti, sed etiam eā de causā, quia unā ex parte ab nomine huius Sanctae deinde ipse locus et postea tota congregatio nomen sumpsit, alterā ex parte insigne archiabbatiae congregationisque artē coniunctum est et cum Sancta Ottilia et cum

hōc factum deinde vehementer paenituit. Cum Ottilia magnum impetum monasticum haberet, nuptias celebrare recusavit atque, ne a patre cogereetur, aufugit. Denique propter Ottiliae perseverantiam atque piissimum modum vivendi, eius pater ei in monte, qui postmodum mons Ottiliae appellabatur, arcem cum omnibus rebus tradidit, ut ibidem monasterium conderet, cui praeeset abbatissa. Iam cum esset in vivis, quaedam miracula ab ipsā effecta tradebantur. Etiam in imo monte propter pergerinatores pios ecclesiam Sancto Martino dicatam atque hospitium condidit. Die 13^o m. Dec. a. 720^o Ottilia vitā functā est, qui dies deinde festum huius Sanctae instituebatur. - *Cfr* Franz Julius TSCHUDY / Bernhard SIRCH (1989), pp. 3 sqq.; Adriaan BREUKELAAR: s.v. Odilia. *In*: Biographisch-Bibliographisches Kirchenlexikon 6 (1993), coll. 1108 sq.; Carmen RIFFENACH / Fabienne ALLEMAN: Odile d'Alsace. Wasselonne 1985, pp. 81 sqq.; Maria STOECKLE: Das Leben der hl. Odilia. *Geschichtsquelle - Sage / Entwicklungsmärchen - hagiographisches Bild?* St. Ottilien 1991, pp. 19 sqq.

Iam paulo post mortem Ottiliae eius veneratio incohata est atque mons Ottiliae factus est locus peregrinationis piae. Itaque Sancta Ottilia etiam appellatur patrona Alsaciae. Tamen eius cultus satis celeriter dissipabatur, imprimis in Germaniam meridionalem, in Austriam, in Helvetiam, sed etiam in Poloniam, Tsechiam Italianamque. Primum autem testimonium, quo eadem Sancta appellatur, videtur ex medio saeculo undecimo exortum esse. Multae vero ecclesiae cappellaeque decursū temporis ei dedicatae sunt. Cappella Sanctae Ottiliae, quae in archiabbatiā Ottiliensi sita est, iam ex saeculo quarto decimo locus peregrinationis piae notus est, quamvis origo huius cappellae multo vetustior esse videatur.

Sancta Ottilia imprimis est auxiliatrix, si quis morbo oculorum laborat. Sed eius auxilium etiam invocatur, si quis moribundus est. Praeterea ad eam se vertunt coniuges, qui infantulos habere desiderant. Attribuuntur autem Sanctae Ottiliae variae res, ex quibus eius imago bene cognoscitur. Praesertim eius imagini sunt adiuncti oculi, qui plerumque in libro, quem Sancta Ottilia manibus tenet, inveniuntur. Quod Sancta Ottilia cum oculis coniungitur, per se explicatur, cum ipsā baptisate ab caecitate sanata sit et cum eā de causā auxiliatrix oculorum sit. Libro tamen significantur sive regula monastica sive constitutiones monasterii. Praeterea Sanctae Ottiliae attribuuntur calix (qui spectat ad legendam eius mortis), corona (cum ex gente nobili sit exoriunda) et parva figura Adalrici patris (sive quia precibus suis eum ex purgatorio liberavit sive quia pater eam in monasterio condendo adiuvit). Sancta Ottilia in altaribus plerumque coniungitur cum Sanctis Catharina, Margarita, Barbara, Dorothea. Saepissime autem invenitur coniunctio Sanctae Ottiliae cum Sancta Catharina. In altari principali cappellae Sanctae Ottiliae, quae in archiabbatiā Ottiliensi sita est, Sanctae Ottiliae associantur Sancta Margarita et Sancta Barbara. - *Cfr* ex. gr. Franz Julius TSCHUDY / Bernhard SIRCH (1989), pp. 15 sqq.; Medard BARTH: Die Heilige Odilia. Straßburg 1938. Vol. 1, pp. 97 sqq.; 142 sqq., 190 sq.

scopo missionario. Nam hęc insigne³¹ bipartitum est, in cuius superiore parte rubro conspicitur lata crux argentei coloris. In inferiore parte nigrā exhibetur



Insigne archiabbatiae Ottiliensis.
[Cfr MISSIONSBENEDIKTINER.
Ein Klosterführer durch vier Kon-
tinente. St. Ottilien 2008, p. 3.]

candelabrum aureum quinquplex cum candelis lucentibus. His symbolis significantur haec:³² amore (i.e. color ruber) lumen Christi (i.e. crux argentea) transportetur in tenebras (i.e. color niger) omnium quinque continentium (i.e. quinque brachia candelabri). Insignis sententiā, quae est «*Lumen caecis*», hae imagines symbolicae comprehenduntur; praeterea his verbis refertur ad ipsam Sanctam Ottiliam, quae auxiliatrix est caecitatis et externae et internae.

Cum episcopus Pancratius von Dinkel die 26^o m. Febr. a. 1887^o P.ri Andreae Amrhein ad petitionem responderet, illā epistolā insimul episcopalis licentia ad sedem secundariam domūs missionariae condendam data est.³³ Permissio vero statalis non erat necessaria, cum - sicut Richopagi - tantummodo foundationem officialiter apud magistratūs

regionales indicari oporteret.

Primus coetus³⁴ sodalium, qui ab domo Richopagensi officialiter Ambingam missi sunt - inter quos et fratres et sorores -, die 10^o m. Ian. a. 1887^o advēnerunt. Officialis dies foundationis sedis secundariae constitutus est dies 13^o m. Ian. 1887^o.³⁵ Iam die 25^o m. Ian. a. 1887^o P. Andreas Amrhein in cappellā

³¹ Verisimiliter P. Norbertus Weber, primus abbas Ottiliensis, hęc insigne sibi excogitaverat.

³² Cfr Frumentius RENNERT: *Leuchter I* (1979), p. 383; Frumentius RENNERT (1999), p. 830.

³³ Cfr Leander BOPP (1954), p. 137; Frumentius RENNERT: *Leuchter I* (1979), pp. 83 sq. - Hac in epistolā Pancratius von Dinkel foundationem sedis missionariae in dioecesi Augustanā etiam gaudenter probavit.

³⁴ Leander BOPP (1954), p. 137 scribit F.rem Hermannum Hofmann (postmodum F.rom Romualdum factum) iam mense Decembri a. 1886ⁱ primum omnium ad Ambingam incolendam advenisse.

³⁵ Cfr Leander BOPP (1954), p. 138; Frumentius RENNERT: *Leuchter I* (1979), p. 86; Bernita WALTER (1985), p. 75; Laurenz KILGER (1934), p. 223, qui primos sodales die

Sanctae Ottiliae primam missam celebravit et inde ex illo tempore eius sedes habitationis Ambingae fuisse indicatur.³⁶ Specialis autem sollemnitatis, quae consociationi erat maximi momenti, die 11^o m. Apr. a. 1887^o, id est secundo die festo Paschatis, celebrabatur. Nam illo die pompā sollemni sanctissimum Sacramentum ab ecclesiā Aeresingensi in cappellam Sanctae Ottiliae translatum est, ut ibīdem in perpetuum asservaretur.³⁷

Decursū mensium sequentium plures fratres sororesque ex domo Richopagensi Ambingam pervēnērunt, plerique mense Iunio advenerant. Officialiter dicebatur - et certe etiam erat scopus originalis - sedem secundariam destinatum esse illi fini, quo fratres, id est futuri missionarii auxiliares, ibīdem temporis spatium praeparandi degerent, quod tamquam «novitiatum» perciperetur, et quo iidem occasionem haberent, quā munera sua, imprimis in oeconomia agriculturaque tractanda, exercerent.³⁸

Initia autem Ottiliensia quōque erant difficilia duraque, et condiciones vigeabant denuo pauperes. Quamvis ipse locus plura emolumenta haberet, tamen plurima restabant facienda ordinandaque. Unā ex parte aedificia inveniebantur in statu quadamtenus neglecto et eadem saltem aliquo modo restaurare necessarium erat. Tamen vere utile erat singulos coetūs «congregationis» separari posse. In ipso castello fratres pedeplanis oecum communem acceperunt; in

11^o m. Ian. Ambingam missos esse scribit. Praeterea idem indicat (sicut Leander BOPP (1954), p. 137 et Cyrill SCHÄFER: Einführung zu den Konstitutionen. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 374) diem foundationis (non officialem) fuisse diem 6^{um} m. Ian. a. 1887^o.

³⁶ Cfr Leander BOPP (1954), p. 138; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 86; Bernita WALTER (1985), p. 75. - Iam satis mature (m. Ian. a. 1887ⁱ) ipse P. Andreas Amrhein in epistulis suis sedem secundariam «ad Sanctam Ottiliam» [«St. Ottilien»] appellare coepit sive hanc significationem cum nomine Ambingae coniungens sive solum nomen Ottiliense adhibens. Die 2^o m. Nov. a. 1904^o demum ab re publica nomen Ambingae officialiter amovebatur et novum nomen, quod est «monasterium Sanctae Ottiliae» vel postea solum «Sancta Ottilia», probabatur.

³⁷ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 87; Bernita WALTER (1985), pp. 75 sq. - In «*Calendario Missionario*» anni 1888ⁱ (Viktor DÖRNSTEIN: Katholisches Missionsleben. In: Missionskalender 1, 1888, p. 37) de hōc eventū gaudenter refertur. - Ceterum animadvertitur et parochum Aeresingensem et populum circumcirca habitantem ab initio consociationem missionariam grato animo recepisse. Etiam «observatio» magistratum statuum erat multo affabilior quam Richopagi, ut aliis in conexibus videbimus.

³⁸ Cfr Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 265; Laurenz KILGER (1934), p. 222; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 82; Bernita WALTER (1985), p. 76.

tabulato primo P. Andreas Amrhein duo conclavia habuit; in secundi tabulati «oeco equitum», qui dicitur, consessūs communitatis exhibebantur; in castelli parte occidentali sororibus separatus oecus quidam habitandi praebebat. Pernoctaverunt autem sorores postmodum in aedificio, quod antea erat praedium Baderianum, quod primo «St. Andreas», deinde aliquando «St. Anna» appellabatur. Fratribus vero in superiore tabulato praedii Ammeriani oecus dormitorius instituebatur.³⁹ Tamen celeriter apparuit locum pro coetū crescente revera non sufficere.



Ambinga anno 1887^o recepta.

A sinistris: St. Leonhard, St. Michael cum cappella, St. Andreas, St. Gabriel, St. Raphael, St. Isidor.

Cum P. Andreas Amrhein primas partes Ambingae emeret, etiam oblectatus erat propter agros, qui ad rem pertinebant, quia sperabat fore, ut non solum fratres campum operandi haberent, sed inde etiam fons quidam reddituum exoriretur, ita ut consociatio melius quam Richopagi semet ipsam sustentare posset. Tamen etiam haec condicio in initio vere difficilis erat. Nam qualitas agrorum illo tempore, quo Ottiliani eos susceperunt, erat vere differens neque nimis bona, quin etiam mala, cum agri magnā ex parte essent omnino palustres neque ad agriculturam efficacem vere apti.⁴⁰ Haec condicio laboribus

³⁹ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 141 sq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 87 sq.; Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 29 sq., p. 47, p. 58. - De his rebus fusius *vide infra*.

⁴⁰ Ambinga Ottiliensis sita est in aspero paramo Bavariae superioris, ubi aquarum divortia finguntur regionum fluviorum, qui sunt Licus [*Lech*], Ampera [*Amper*] et Parra [*Paar*].

multiplicibus magnisque multorum annorum paulatim meliorata est.⁴¹

Tales res exteriores certe non erant nullius momenti, cum ab fundamento certo stabilitoque, quo vita cottidiana sustentari posset, tota existentia alicuius consociationis dependeret. Tamen maximi momenti etiam erant condiciones internae. Nam consociatio ipsa intrinsecus stabiliri, constitui, adimpleri atque insimul, quod attinet ad scopum missionarium, spiritualiter exerceri debuit.

(Cfr Laidslaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 154, p. 65, p. 186). Quā de causā regio - etiam propter copiam pluviarum - est vere umida. Cum insuper Ambinga sita est in regione praealpstri, in quā ruderā molis glacialis deposita sunt, qualitas terrae vere diversa invenitur. - Cfr ex. gr. Oskar KUHN: Geologie von Bayern. München / Basel / Wien ³1964, pp. 140 sqq.; Basilius KONRAD: Die Ökonomie der Benediktiner-Missionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 1929, p. 9; Frumentius RENNER (²1982), p. 448.

⁴¹ Hac in re ab initio plurimum attribuit P. Paulus Sauter, qui indesinenter in quaestiones agriculturae incumbens multa merita de oeconomia Ottiliensi sibi acquisivit.

2.3.2 De primis constitutionibus

Iam anno 1886^o, id est tempore Richopagensi, P. Andreas Amrhein constitutiones pro consociatione suā exaraverat. Eisdem episcopo Ratisbonensi Ignatio von Senestrey tradiderat, qui quidem dixerat easdem adhiberi licere, sed earum approbationem scriptam recusavit.⁴² Sed cum P. Andreas Amrhein die 25^o m. Ian. a. 1887^o epistulam ad episcopum Augustanum Pancratium von Dinkel mitteret, eundem rogavit, ut in illas constitutiones inquireret, eas modificaret, ubi necessarium esset, atque eas ad spatium temporis probativum approbaret.⁴³ Kalendis Februariis a. 1887ⁱ P. Amrhein Theodiscum textum constitutionum unā cum aliis testimoniis ad episcopum Augustanum misit.⁴⁴

Quamvis propter condiciones politicas vigentes consociatio publice solum «domus missionaria» appellata sit, ex constitutionibus clare apparet P. rem Andream Amrhein ab initio revera monasterium Benedictinum instituere voluisse. Etiam si eā de causā in explicationibus suis Regulam Sancti Benedicti sequitur, tamen etiam in constitutionibus primis illa specialitas, quam ante oculos habuit, nempe coniunctio inter vitam monasticam et vitam missionariam, respicienda et apte verbis exprimenda erat. Itaque in epistula, quam unā cum constitutionibus ad episcopum misit, P. Andreas Amrhein scripsit constitutiones «*ab initio usque ad finem Regulam Sancti Benedicti sequi et easdem solis illis locis, qui partim respectu condicionum politicarum in Bavariā vigentium, partim respectu specialis scopi missionarii, partim respectu necessitatis modificandi, ex. gr. quoad castigationem corporalem et*

⁴² Cfr. Cyrill SCHÄFER: Einführung zu den Konstitutionen. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 273; Basilius DOPPELFELD: Benediktinisch-missionarische Lebensordnung. Andreas Amrheins erste Konstitutionen für die Missionsbenediktiner von Reichenbach-St. Ottilien. In: Joachim F. ANGERER / Josef LENZENWEGER (edd.): Consuetudines Monasticae. Rom 1982, p. 376; Viktor DAMMERTZ: Die Leitgedanken bei der Redaktion der Konstitutionen unserer Kongregation. In: Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 354; Godfrey SIEBER (1992), p. 185; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 67.

⁴³ Cfr. Viktor DAMMERTZ: Redaktion (²1979), p. 354; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 265; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 83.

⁴⁴ Cfr. Viktor DAMMERTZ: Redaktion (²1979), p. 354; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 265; Cyrill SCHÄFER: Einleitung zu den Konstitutionen. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 374. - Ceterum Laurentius KILGER (1934) illas constitutiones in inquisitione suā non commemorat. - Cyrill SCHÄFER: Einleitung zu den Konstitutionen. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 375 explicat textum harum constitutionum compluribus exemplaribus manū descriptis exstare, ex quibus tria manuscripta in archivio Ottiliensi inveniuntur. Ex his variis exemplaribus praeter alia apparet textum iam Richopagi compositum indicium localibus mutatis ad Pancratium von Dinkel missum esse.

sim., additamenta vel explicationes postulant, iisdem adaptari conari.»⁴⁵

Revera P. Andreas Amrhein in constitutionibus anni 1886/87ⁱ viginti quattuor paragraphis Regulam Sancti Benedicti adhibens atque ad eam recurrens⁴⁶ explicationes exhibet, ordinem vivendi demonstrat, praescripta praebet. Iuxta regulas praesertim ad ascensum vitamque monasticam spectantes P. Andreas Amrhein clare atque distincte scopos missionarios atque modum progrediendi explicat.⁴⁷ Qui tamen aspectus artē cohaerent.

Iam in paragrapho primo, qui spectat ad Prologum Sanctae Regulae, structura futura eiusque causae explicantur.⁴⁸ Nam propter duplex munus et monasticum et missionarium P.ri Andreae Amrhein necessarium esse videbatur, ut in regionibus exteris ad opus bene efficiendum monasteria conderentur. Sed sibi omnino conscius erat missionarios futuros praeparatione firmā indigere, quā de causā in ipsā patriā domus ibidem condita locum novitiatūs expleret.⁴⁹ Et paulo post affirmatur non denique in monasterio missionario extero, sed iam in domo praeparatoriā Regulam Sancti Benedicti observandam esse, quemadmodum secundum leges statales hoc liceat.⁵⁰ Propter hanc perceptionem rei in paragrapho secundo expressis verbis totam constructionem, quae ei erat

⁴⁵ Textus originaliter Theodiscus. - *Cfr* Viktor DAMMERTZ: Redaktion (²1979), p. 354; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 267.

⁴⁶ Tamen non omnia capitula Regulae Sancti Benedicti P. Andreas Amrhein in constitutionibus adhibet explicatque. Praeterea nonnullis in paragraphis plura capitula Regulae comprehendit, velut § 7, qui spectat ad capitula octavum usque duodevicesimum, vel § 16, quo capitula 39^{um} et 40^{um} tractantur, vel § 23, quo agitur de capitulis 64^o et 65^o Regulae.

⁴⁷ Basilius DOPPELFELD (1982), p. 375 constitutiones existimat esse originale documentum testimoniumque pretiosum, quo P.ri Andreae Amrhein perceptio vitae monasticae cum vitā missionariā coniunctae ante oculos ponatur. Similiter Viktor DAMMERTZ: Redaktion (²1979), p. 355. Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 265 adn. 29 putat constitutiones esse imprimis explicationes singulorum capitulorum Regulae Sancti Benedicti, quibus secundum necessitatem statuta foundationis adiunguntur. *Cfr* etiam Godfrey SIEBER (1992), p. 185.

⁴⁸ *Cfr* Andreas AMRHEIN: Konstitutionen der St. Benediktus-Missionsgesellschaft (1886). *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 377 sq.

⁴⁹ Exemplo, quod in archivio dioecesis Augustanae asservatur, inserta est sententia haec: «*dummodo leges patriae non permittunt hoc esse monasterium*». (Sententia originaliter Theodisca). - *Cfr* Andreas AMRHEIN: Konstitutionen. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 378 adn. c. - Tamen hac quaestione novitiatūs postea problemata quaedam exorta sunt.

⁵⁰ *Cfr* Andreas AMRHEIN: Konstitutionen. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 379.

cordi, P. Andreas Amrhein exhibet.⁵¹ Nam scribit coenobitas in regionibus exteris locos stabiles condere debere, ubi secundum Regulam vivant atque unde opera sua missionaria extendant. Sacerdotibus autem fratres missionarii auxiliares adiungantur oportet.⁵² Insimul etiam agitur de muneribus, quibus fratres in regionibus missionariis specialiter fungantur.⁵³

Maximi autem momenti est paragraphus duodevicesimus, qui quōque cum praecipuis cogitationibus missionariis artē cohaeret.⁵⁴ Agitur enim de laboribus manualibus cottidie exanclandis. Fusius vero P. Andreas Amrhein in hunc aspectum incumbit. Scribit enim in initio huius paragraphi ex cottidiano opere manuali - praeter superiorem, cellerarium magistrosque - neminem exceptum esse, ne sacerdotes studentesque quidem.⁵⁵ Nam opinionem Sancti Benedicti sequendo labores corporales debent maxime aestimari, cum monachi et omnibus sint exemplo et laborando semet ipsos sustentent atque alios adiuvent. Has ob causas - ut scribit P. Andreas Amrhein - ex laboribus etiam apostolatus fit et ex viro laico, qui sacerdoti iuxtapositus est, verus missionarius imitatorque apostoli. Cum autem labores in conexū missionario sint maximi momenti et cum nemo alios in muneribus operariis vel in agriculturā docere valeat, qui ipse de his disciplinis nihil scit, iam in patriā domo praeparatoriā labores manuales non solum respiciendi, sed etiam exercendi sunt. Ex his primis constitutionibus ergo iam apparet in missionariis futuris erudiendis educandisque ab initio labores fuisse valorem constitutum.

Commemorandus denique est constitutionum paragraphus vicesimus pri-

⁵¹ Cfr Andreas AMRHEIN: Konstitutionen. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 379 sqq. - Hic paragraphus spectat ad capitulum primum Regulae Sancti Benedicti, quo agitur «*De generibus monachorum*».

⁵² Hōc quōque locō P. Andreas Amrhein denuo specialem perceptionem suam missionariam explicat, quam etiam alibi - et antea et postea - fuse demonstravit. - *Vide supra* cap. 2.2.2.

⁵³ Basilius DOPPELFELD (1982), p. 379 ostentat has explicationes factas esse maioris momenti ad munus Benedictini missionarii demonstrandum. Quā re etiam factum sit, quod numerus monachorum fratrum in congregatione Ottiliensi usque in tempora hodierna maiorem partem conventuum expleret.

⁵⁴ Cfr Andreas AMRHEIN: Konstitutionen. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 397 sqq. - Hic paragraphus spectat ad capitulum duodequingagesimum Regulae Sancti Benedicti, cui titulus est «*De opera manuum cottidiano*». - Cfr Basilius DOPPELFELD (1982), pp. 380 sq.

⁵⁵ Eisdem hiemali tempore minimum unam horam, aestivo tempore sesquialteram horam operis manualis praescribit.

mus.⁵⁶ Ibīdem enim agitur de modo procedendi, quo novi candidati in domum missionariam recipiendi sint. Etiam hōc in conexū P. Andreas Amrhein rem fusius explicat. Ex textū autem apparet difficultas, quae illo tempore adhuc vigebat. Nam P. Amrhein internas condiciones vere monasticas instituere voluit, sed insuper externas condiciones politicas respicere debuit. Itaque decrevit haec: sodales futuri, cum revera accipiantur,⁵⁷ primo ad unum annum probativum admittuntur. Intra illum annum superior decanique⁵⁸ de candidato ter consultationes instituunt deliberantes, num aptus sit. Post illum annum bene superatum, candidatus in primum gradum sodalitatis recipitur. Hōc autem fit actū sollemni, quō īdem contractum, qui secundum statuta civilia praescriptum est, omnibus sodalibus praesentibus praelegit subscribitque. Tamen antecedere solet alius actus, quo candidatus sodalibus plenariis superioreque praesentibus vota quadamtenus privata ad unum annum valentia facit.⁵⁹ Sodales autem primi gradūs denuo per unum annum diligentissime secundum regulas viventes se praeparant ad secundum gradum, id est ad sodalitem veram perpetuamque. Itaque illum annum primi gradūs P. Andreas Amrhein existimavit esse in loco novitiatūs. Ipsa vero vota sollemnia denique Romae proferuntur immediate ante emissionem in regionem missionariam. Tunc etiam habitus ordinis religiosi accipitur.⁶⁰

Ut commentatores posteriores dicunt,⁶¹ illis constitutionibus primis quaedam difficultates inhaerent, velut ea, quae de missione proponuntur et quae nondum cum experiētiā reali congruunt, vel quaedam proprietates, quae ex indole fundatoris eveniunt. Tamen hōc propositum est testimonium bonum,

⁵⁶ Cfr Andreas AMRHEIN: Konstitutionen. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 400 sqq. - Qui paragraphus spectat ad Regulae capitulum duodesagesimum, cui titulus est «*De disciplina suscipiendorum Fratrum*». - Cfr etiam Basilius DOPPELFELD (1982), pp. 381 sq.; Viktor DAMMERTZ: Redaktion (21979), p. 355; Frumentius RENNERT: Leuchter I (21979), p. 67; Godfrey SIEBER (1992), p. 185.

⁵⁷ Singillatim P. Andreas Amrhein explicat, quid in candidatis petitoribus sit respiciendum et sub quibus condicionibus repudiandi sint. Generaliter vero postulat, ne aditus ad domum missionariam sit nimis facilis. Noluit enim homines sine vocatione verā seriāque venire.

⁵⁸ De muneribus decanorum cfr Andreas AMRHEIN: Konstitutionen. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 388 sq., § 8.

⁵⁹ In constitutionibus legitur esse talia vota, qualia in manūs confessarii emittuntur.

⁶⁰ Tamen P. Andreas Amrhein iam praecogitat condiciones politicas aliquando mutatum iri. Tunc enim vota sollemnia in ipsā domo matrice proferuntur.

⁶¹ Cfr Viktor DAMMERTZ: Redaktion (21979), pp. 35 sq.; Basilius DOPPELFELD (1982), pp. 382 sq.

quo conamen synthesis efficacia factum est missionem atque vitam monasticam modo Benedictino fundatam coniungendi et quo praeterea effectus quidam exseruntur in posteriorem congregationem Ottiliensem.

Postquam episcopus Pancratius von Dinkel textum constitutionum accepit, diligenter in eundem incubuit. Mensibus autem insequentibus textum in Latinum vertendum curavit.⁶² Die 7^o m. Nov. a. 1887^o ipse episcopus Augustanus has constitutiones approbavit modo scripto,⁶³ cuius approbationis textus est hic:⁶⁴ «*Has constitutiones in usum congregationis missionariae s. Benedicti in Emming conscriptas principiis regulae monachorum OSB Beuronensium in quantum pro rerum circumstantiis fieri potuit, accommodatas ac per tres annos reapte probatas Nos auctoritate Nostra Episcopali ratas habemus et approbamus. Augustae Vindelicorum, 7. Novembris 1887.*

+ *Pancratius, Epp. Aug.*»

Constitutionum autem versionem Latinam atque textum approbationis Pancratius von Dinkel Romam ad Congregationem de Propaganda Fide misit.⁶⁵

⁶² Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 407 adn. 5 adnotat duas diversas versiones Latinas harum constitutionum in archivo Ottiliensi asservari, tamen in archivis Vaticanis, quamquam intensive quaesitum esset, nullum exemplar Latinum ad Apostolicam Sedem missum inveniri potuisse.

⁶³ Cfr Viktor DAMMERTZ: *Redaktion* (²1979), p. 354; Frumentius RENNER: *Leuchter I* (²1979), p. 106; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 269; Cyrill SCHÄFER: *Einführung in die Konstitutionen*. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 375; Godfrey SIEBER (1992), p. 186; Leander BOPP (1954), p. 159; Bernita WALTER (1985), p. 95; Paulus WEISSENBERGER: *Das Benediktinische Mönchtum im 19./20. Jahrhundert (1800-1950)*. Beuron 1954, p. 42 nr 222.

⁶⁴ Textus originaliter Latinus. - Cfr Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 270; Viktor DAMMERTZ: *Redaktion* (²1979), p. 354 adn. 4, qui uterque textum originale affert.

⁶⁵ De condicione, quo in conexu hoc factum sit, *vide infra*. - De quaestione autem approbationis nonnullis annis post quaedam difficultates exortae sunt.

2.3.3. De primo conamine missionario

Ipsa domus missionaria tantummodo ex paucis annis exstitit, sedes vero secundaria Ottiliensis solum ex paucis mensibus, cum consociationi occasio daretur, quā scopum suum missionarium explere posset. Nam iam anno 1887° P. Andreas Amrhein rogatus est, ut missionem in Africa Orientali suscipere. Sed antequam referemus, quomodo hōc factum sit et quid acciderit, breviter latiore conexum historicum explicare volumus.

Digressio: DE COLONIALISMO DEQUE MISSIONE

1. Germaniam colonialismi viam ingredi

Imperium Germanicum saeculo undevicesimo in comparatione aliarum Civitatum satis sero in circulum rerum publicarum «colonias» possidentium se inseruit. Hōc certe variis cum condicionibus cohaeret. Nam unā ex parte Imperium Germanicum demum anno 1871° coniunctione minorum Civitatum Germanicarum denuo constitutum est et eā de causā ĩdem primo intrinsecus stabiliendum erat. Alterā ex parte Germaniae cancellarius Otto von Bismarck generaliter nullum verum impetum ad «colonias» active acquirendas habuisse videtur, cum alia themata ei essent maioris momenti.⁶⁶

Tamen ultimis decenniis saeculi undevicesimi etiam in Germaniā ipsā quaestio coloniarum magis disputari coepta est et circulis civium crescentibus acquisitio coloniarum alicuius ponderis facta est. Nihilominus - ut periti dicunt - hac in re verā «motio nationalis» non est exorta, sed «impulsus ex natione exhibitus» bene animadvertebatur.⁶⁷ Quamvis Bismarckius sine tali «impulsū» externo quaestionem colonicam serio non esset aggressus, tamen aliae causae exstiterunt, cur cancellarius aestate anni 1884ⁱ animum magis in

⁶⁶ Talis eius opinio praeter alia etiam apparet ex pluribus enuntiatis satis claris de hōc themate. - *Cfr* ex. gr. Horst GRÜNDER: Geschichte der deutschen Kolonien. Paderborn / München / Zürich ⁵2004, pp. 51 sqq.; Klaus J. BADE: Einleitung: Imperialismus und Kolonialismus: das kaiserliche Deutschland und sein koloniales Imperium. In: Klaus J. BADE (ed.): Imperialismus und Kolonialismus. Kaiserliches Deutschland und koloniales Imperium. Wiesbaden 1982, pp. 2 sqq.; Hans-Ulrich WEHLER: Bismarck und der Imperialismus. Köln / Berlin 1969, pp. 191 sqq.; Michael FRÖHLICH: Imperialismus. Deutsche Kolonial- und Weltpolitik 1880-1914. München 1994, pp. 17 sqq.; Hans Georg STELTZER: Die Deutschen und ihr Kolonialreich. Frankfurt/M 1984, pp. 15 sq.; Karl HAMMER: Weltmission und Kolonialismus. Sendungsideen des 19. Jahrhunderts im Konflikt. München 1978, p. 271.

⁶⁷ *Cfr* Horst GRÜNDER (⁵2004), p. 50; Hans-Ulrich WEHLER (1969), pp. 423 sqq.; Michael FRÖHLICH (1994), pp. 37 sqq.; Hans Georg STELTZER (1984), pp. 19 sqq.

colonialismum advertere decerneret.⁶⁸

Putant autem plerique historici hōc in conexū causam maximi momenti inveniri in condicionibus oeconomicis. Nam illo tempore, quo aliae res publicae possessiones suas transmarinas instituerunt atque extenderunt, magis magisque internationalis aemulatio oeconomica aucta est atque variis vectigalibus prohibitoriis aliisque methodis huius generis tempus negotiationis liberae ad finem vergi videbatur. Putatur ergo Bismarckius, cum timeret, ne Germanica negotiatio in Africa Occidentali detrimentum caperet, inde incitamentum cepisse, quo, quamvis non ita libenter, anno 1884^o «tutelam Imperii» quadamtenus formaliter illis regionibus praeberet, quae Imperii Germanici intererant.⁶⁹ Tamen in inquisitionibus scientificis etiam respiciuntur politicae externae condiciones, quae illo tempore vigeant et quibus propter tranquillitatem quandam Germanica «extensio colonica» sine perturbatione magnā fieri potuit. Denique dicitur Bismarckius quosdam scopos politicae internae habuisse, ex quibus praeter alios commemoranda est eius deliberatio, quā colonialismo proprium statum politicum stabilire voluerit.⁷⁰

Quod autem attinet ad ipsas regiones transmarinas acquirendas, cancellarius Bismarckius illas «regiones tutelares»,⁷¹ quantopere fieri potuit, propriae responsalitati oeconomicae agentium relinquere voluit, cum statalis administratio stricte dicta ei non esset in animo.⁷² Nam unā ex parte sibi conscius

⁶⁸ Singulae factiones politicae Germanicae colonialismum diversimode perceperunt. Hac in re et inter factiones politicas et intra easdem magnae differentiae animadvertentur. Perceptiones autem inveniuntur ab aversione plenā usque ad imperialismum negotiationis liberae, ab acquisitione coloniarum statali usque ad colonialismum aggressivum. - *Cfr* ex. gr. Horst GRÜNDER (⁵2004), pp. 63 sqq.; Hans-Ulrich WEHLER: Bismarck und der Imperialismus. Köln / Berlin 1969, pp. 168 sqq.; Michael FRÖHLICH (1994), pp. 44 sq.

⁶⁹ Qua cum re non solum cohaeret negotiatio transmarina, sed etiam quaestio, num maercatūs certi institui possint, atque aspectus sociales, quo de operandi locis operariorum, de eorum quaestū pecuniāque merendā deliberatur. - *Cfr* Horst GRÜNDER (⁵2004), pp. 52 sq.; Hans-Ulrich WEHLER (1969), pp. 423 sqq.; Michael FRÖHLICH (1994), pp. 37 sqq.; Hans Georg STELTZER (1984), pp. 19 sqq.

⁷⁰ *Cfr* Horst GRÜNDER (⁵2004), pp. 53 sqq.; Hans-Ulrich WEHLER (1969), pp. 454 sqq.; Michael FRÖHLICH (1994), pp. 33 sq.

⁷¹ Terminum, qui est «regio tutelarum», Bismarckius specialiter invenit, ne territoria transmarina «colonias» appellare deberet.

⁷² Oratione quādam parlamentariā die 28^o m. Nov. a. 1885^o prolata Bismarckius praeter alia dixit «scopum suum esse régime consociationum negotiatoriarum, quae custodiā tutelaeque Imperii Imperatorisque leviter observandae sunt.» - Verba originaliter

erat, quale onus pecuniarium esset formalis acquisitio «coloniarum» ab re publicā factā, alterā ex parte politicam suam externam, quae imprimis ad Europam spectabat, ab periculis colonialismi stricte dicti liberam esse voluit.⁷³ Tamen - ut postea videbimus - tali perceptione atque tali modo procedendi, quo pleraque consociationibus oeconomicis relinquebantur, maxima pericula in «regionibus tutelaribus» exorta sunt.

2. De Germanica Africa Orientali

Quod Imperium «tutelam» Africae Orientalis officialiter suscepit, non omnino consulto factum est. Nam aliis in regionibus Africanis, in quas Imperium iam antea oculos direxerat, videbatur «tutela statalis» necessaria esse, quā imprimis negotiatio Germanorum protegeretur. Aliter in Africā Orientali magnis domibus negotiatoriis Hamaburgensibus, quae in Zanguebaria⁷⁴ sedes suas habebant, diu causa non erat, quā tutelam Imperii peterent. Quod anno 1884^o Gerardus [*Gerhard*] Rohlfs consul generalis Zanguebariae factus est, magis cum negotiatiō politicā in Africa Orientali amplificatā cohaerebat quam cum scopis territorialibus Bismarckii.⁷⁵

Conditiones autem mutabantur, cum «Societas colonizationis Germanicae»⁷⁶ appareret. Hanc «Societatem» Dr Cárolus [*Karl*] Peters⁷⁷ et Felix Vilelmus Leonardus [*Wilhelm Leonard*] Comes Behr-Bandelin die 28^o m. Mart. a.

Theodisca affert Horst GRÜNDER (⁵2004), p. 54. - *Cfr* etiam Hans-Ulrich WEHLER (1969), pp. 425 sqq.

⁷³ *Cfr* Horst GRÜNDER (⁵2004), pp. 58 sqq.; Hans Georg STELTZER (1984), p. 15.

⁷⁴ *Sansibar*.

⁷⁵ *Cfr* Horst GRÜNDER (⁵2004), pp. 84 sq.; Michael FRÖHLICH (1994), pp. 39 sq.

⁷⁶ «Gesellschaft für deutsche Kolonisation» (GfdK).

⁷⁷ Cárolus Peters (1856-1918), qui anno 1879^o in disciplinā historicā in doctores promotus erat, videtur iam pridem Britannicum Imperium coloniarum admiratus esse, et similem rem pro Germaniā exoptavit. Eius autem scopus erat in eo, ut Germaniae extentione colonicā quadamtenus motio counitionis in terris transmarinis continuaretur et Germanica Civitas nationalis magnum prospectum temporis futuri acciperet. Tamen ipsi videtur fuisse maximi momenti causa propria personalisque, quae erat in eo, ut ambitionem suam ingentem atque desiderium exaggeratum expleret, quo plurimā auctoritate valere voluit. Nonnulli investigatores eius indolem appellant pathologicam atque iam fascisticam. - *Cfr* Horst GRÜNDER (⁵2004), pp. 85 sq.; Christian GEULEN: «The Final Frontier ...». *Heimat, Nation, Kolonie um 1900: Carl Peters*. In: Birthe KUNDRUS (ed.): *Phantasiereiche. Zur Kulturgeschichte des deutschen Kolonialismus*. Frankfurt/M / New York 2003, pp. 46 sqq.; Hans Georg STELTZER (1984), p. 55; Karl HAMMER (1978), p. 269.

1884^o condiderant scopo, quo Germanicae coloniae agriculturae negotiationisque instituerentur. Tamen proprii scopi Cárolus Peters minus erant generis oeconomici.⁷⁸

Cárolus Peters ergo unā cum quibusdam sociis in Africam Orientalem profectus est,⁷⁹ ut extra territorium sultani Zanguebarensis in ipsa continenti territoria sibi atque «Societati» acquirerent.⁸⁰ Mense Novembri Decembrique a. 1884ⁱ ibīdem imprimis in regione Usagara territoriisque circumcirca situs cum nonnullis principibus nigritarum satis celeriter «contractūs» inierunt, quibus iidem iura sua privata regaliaque «Societati colonizationis Germanicae» tradiderunt⁸¹. Putantur autem illi principes verisimiliter sequelas huius actūs perspectas non habuisse.⁸²

Postquam in Germaniam revertit, Cárolus Peters mense Februario a. 1885ⁱ Berolini régimen Germanicum denuo rogavit, ut pro regionibus in Africā Orientali recenter acquisitis tutela Imperii praeberetur.⁸³ Verisimiliter quia Cárolus Peters imprimis emolumenta negotiationis exhibuit atque affirmavit ab constitutione politicā in initio abstineri posse et praeterea indicavit possibilitatem, quā intentiones in Zanguebaria iam existentes cum scopis «Societatis civilizationis Germanicae» coniungerentur, ei contigit, ut régimen Germanicum iam die 27^o m. Febr. a. 1885ⁱ imperiales litteras tutelares praeberet.⁸⁴

⁷⁸ *Cfr* Michael FRÖHLICH (1994), p. 40; Christian GEULEN (2003), pp. 47 sq.; Horst GRÜNDER (⁵2004), p. 85; Hans-Ulrich WEHLER (1969), p. 340.

⁷⁹ Nonnulla proposita, quae ad alias regiones spectabant, iam antea abiecta sunt.

⁸⁰ Bismarckius in antecessum recusaverat Imperium Germanicum huic expeditioni subsidia vel tutelam praebere.

⁸¹ *Cfr* Imre Josef DEMHARDT: deutsche Kolonialgrenzen in Afrika. Historisch-geographische Untersuchungen ausgewählter Grenzräume von Deutsch-Südwestafrika und Deutsch-Ostafrika. Hildesheim / Zürich / New York 1997, p. 345; Horst GRÜNDER (⁵2004), p. 86; Hans-Ulrich WEHLER (1969), p. 341; Hans Georg STELTZER (1984), pp. 55 sq.; Michael FRÖHLICH (1994), p. 40; Karl HAMMER (1978), p. 274.

⁸² Dicitur Bismarckius illos «contractūs» ludibrio habuisse aestimans esse «solum particulas chartaceas cruciculis nigritarum subscriptas».

⁸³ Dicitur Cárolus Peters etiam minatus esse se, nisi tales litteras tutelares Germanicas acciperet, totam regionem acquisitam Belgis traditurum esse.

⁸⁴ *Cfr* Hans-Ulrich WEHLER (1969), pp. 342 sq.; Imre Josef DEMHARDT (1997), p. 346; Horst GRÜNDER (⁵2004), pp. 86 sq.; Michael FRÖHLICH (1994), p. 40; Hans Georg STELTZER (1984), p. 56. -

Die 26^o m. Febr. a. 1885^o conventus Congoicus sive Berolinensis finitus erat. Ab participibus autem documentum subscriptum est, quo praeter alia constituebatur omnibus subscribentibus in Belgicā coloniā Congoicā libertatem negotiandi esse;

His litteris tutelaribus insimul petitores omnia iura acceperunt, quae ex contractibus initis exoriebantur et quae in illis regionibus erga indigenas, erga Germanos atque erga reliquos extraneos adhibere eis licuit.

In fine mensis Februarii a. 1885ⁱ «Societas civilizationis Germanicae» mutata est in «Societatem Germanico-Orientali-Africanam».⁸⁵ Tempore autem insequenti ab hac «Societate» plura territoria in Africa Orientali similibus contractibus acquisita sunt. Tamen haec «Societas» neque officia administrativa neque munera oeconomica satis bene explere valuit.⁸⁶

Cum Germani die 25^o m. Apr. 1885^o sultano Zanguebariae imperium suum tutelare officialiter indicarent, idem vehementer reclamavit «usurpatione Germanicā» territorium suum laedi, atque eam agnoscere recusavit.⁸⁷ Conditio non ita facilis erat, cum Bismarckius unā ex parte Germaniae scopos negotiationis, alterā ex parte intentiones et Angliae et Francogalliae et sultani Zanguebariae respicere deberet. Cum nihilominus iussu Bismarckii mense Augusto a. 1885ⁱ classis Germanica ante litora Africae Orientalis atque Zanguebariae appareret atque insimul consultationes imprimis cum Anglis instituerentur, sultanus iam unā septimanā post Anglis quōque suadentibus reclamaciones suas retraxit.⁸⁸ Effectus autem consultationum, quae inter Angliam et Germaniam instituebantur, erat contractus die 29^o m. Oct. a. 1886^o constitutus, quo illae Civitates de regionibus suis in Africā Orientali invicem agnoscendis convenerunt et insuper sultanatum Zanguebariae sui iuris esse proclamaverunt atque in continenti Africanā territorium litorale decem miliariorum latam ad eundem pertinere decreverunt.⁸⁹ Hic erat quadamtenus status rerum, cum missionarii Benedictini in Africam Orientalem pervenirent.

negotiationem servorum interdictum esse; solum talem rem publicam ius coloniae acquirendae habere, quae territorium revera occupare valeret; libertatem religionum atque libertatem missionis concedi.

⁸⁵ «Deutsch-Ostafrikanische Gesellschaft» (DOAG).

⁸⁶ *Cfr* Imre Josef DEMHARDT (1997), p. 348; Hans-Ulrich WEHLER (1969), p. 344; Horst GRÜNDER (⁵2004), p. 87; Michael PESEK: *Koloniale Herrschaft in Deutsch-Ostafrika. Expeditionen, Militär und Verwaltung seit 1880.* Frankfurt/M / New York 2005, p. 181.

⁸⁷ *Cfr* Hans Georg STELTZER (1984), p. 57; Michael FRÖHLICH (1994), p. 40; Hans-Ulrich WEHLER (1969), pp. 344 sq.

⁸⁸ *Cfr* Michael PESEK (2005), p. 182; Hans-Ulrich WEHLER (1969), pp. 351 sq.; Hans Georg STELTZER (1984), p. 58.

⁸⁹ *Cfr* Michael PESEK (2005), p. 182; Hans-Ulrich WEHLER (1969), pp. 354 sqq.; Hans Georg STELTZER (1984), p. 59.

3. De problematis generalibus colonialismi missionisque

Cum Imperium Germanicum in fine saeculi undevicesimi in colonialismum incumbere inciperet, ex improvise etiam aspectus missionis Christianae in publico et in politica maioris momenti factus est, etiam apud illos, quorum labores missionarii antea non ita intererant. Quamvis cooperatores rerum missionariarum ex tali publicā intentione auctā labores suos generaliter magis agnoscere exspectare possent, tamen plerique, qui extentioni Imperii atque colonialismo favebant, non ita ad ipsam euangelizationem spectabant quam ad emolumenta propria politicae, quae cum eādem cohaerebant. Missio enim Christiana multis videbatur utilis quoad scopos politicos atque oeconomicos. Nam in Germaniā - sicut in omnibus aliis Civitatibus, quae colonias habebant - colonialistae cultum civilem proprium nationalemque in coloniis instituere atque fundare desideraverunt, et hoc quidem ex variis causis. Missionarii autem Christiani (et catholici et protestantici) putabantur esse optimi translatores civilizationis atque cultū civilem, quia iidem unā cum euangelizatione tamquam parte operis missionarii etiam scholas, valetudinaria, nepiagogia, opificinas, agriculturam instituerent.⁹⁰ Talis perceptio, quā arta cohaerentia inter missionem Christianam et propagationem civilizationis demonstratur, iam apparet in litteris encyclicis papae Leonis XIII, quae anno 1880° ad missionem augendam divulgatae sunt et quibus est titulus «*Sancta Dei Civitas*».⁹¹

Cum itaque repraesentantes publici missionariis indigerent, missioni possibi-

⁹⁰ Cfr Klaus J. BADE: Einführung. In: Klaus J. BADE (ed.) (1982), pp. 14 sq.; Karl HAMMER (1978), p. 82; Cyrill SCHÄFER: Stella Maris (2005), p. 26; Hans-Joachim NIESEL: Kolonialverwaltung und Mission in Deutsch Ostafrika 1890-1914. Diss. Berlin 1971, pp. 80 sq.; Horst GRÜNDER (1982), p. 204; Robert HOFFMANN: Die katholische Missionsbewegung in Deutschland vom Anfang des 19. Jahrhunderts bis zum Ende der deutschen Kolonialgeschichte. In: Klaus J. BADE (ed.) (1982), p. 37.

⁹¹ Cfr «*Sancta Dei Civitas*», ASS (= Acta Sanctae Sedis) 13, 1880, p. 246: «Nostri muneris esse ducimus, piis studiis caritativae christianorum admovere stimulos, ut qua precibus, qua largitionibus sacrarum missionum opus iuvare et fidei propagationi favere contendant. Cuius rei quanta sit praestantia, cum bona ostendunt quae illi proposita sunt, tum quae inde percipiuntur compendia et fructus. Recta enim tendit sanctum hoc opus ad gloriam divini nominis et Christi regnum amplificandum in terris; incredibiliter autem beneficium est iis, qui e vitiorum coeno et umbra mortis evocantur, et praeterquam quod salutis sempiternae compotes fiunt, ab agresti cultu ferisque moribus ad omnem civilem vitae humanitatem traducuntur.» (Textus originaliter Latinus). - Tamen huiusmodi sermo, quo agitur de aliarum gentium «agresti cultū ferisque moribus», perceptioni nostrae hodiernae est aliquatenus alienus.

litas praebita est, quā fidem Christianam in regionibus extra Europam sitis celeriter propagare atque dissipare valeret. Tamen ex hac coniunctione inter colonialismum atque missionem etiam magna problemata exorta sunt, quibus factum est, ut saepe euangelizatio aequiperaretur cum occidentali imperialismo culturali.

Tamen etiam respiciendum est unā ex parte inter missionarios atque administrationem publicam revera interdependentiam quandam exstitisse eosque inter se partim cooperatos esse, alterā ex parte saepe etiam dissensiones inter ipsos exortas esse. Quae problemata imprimis cohaerebant cum diversā perceptione officii atque cum diversis scopis laborum.⁹² Difficultates praeterea apparebant, cum ageretur de modo se gerendi Europaeorum, de relatione inter missionarios aliarum confessionum, de agnitione cultūs civilis indigenarum, de quaestione nationalismi, de quaestionibus oeconomicis et de multis aliis rebus.⁹³

Cum missionarii Benedictini primā vice in Africam Orientalem pervenirent, sine experiētiā practicā in tales condiciones intricatas immissi sunt, quae etiam missionariis magis peritis non semper faciles erant.

⁹² Maxima problemata tunc exorta sunt, cum missionariorum praesertim intererat ex indigenis paganis et secundum perceptionem Europaeam nondum cultis homines Christianos magis eruditos, responsales liberosque reddere scopo, quo hunc in modum semet ipsos educatores paulatim superfluos esse voluerunt. Alterā ex parte colonialistae saepe tantummodo sub aspectu oeconomico Africanos aspexerunt, qui eo utiliores erant, quo magis in statū inferiore manserunt.

⁹³ *Cfr* ex. gr. Rainer TETZLAFF: Die Mission im Spannungsfeld zwischen kolonialer Herrschaftssicherung und Zivilisationsanspruch in Deutsch-Ostafrika. *In*: Klaus J. BADE (ed.) (1982), pp. 189 sqq.; Gert v. PACZENSKY: Teurer Segen. Christliche Mission und Kolonialismus. München 1991, p. 248. - Klaus J. BADE: Einleitung. *In*: Klaus J. BADE (ed.) (1982), pp. 17 sqq. diligenter atque bene explicat, quales complexūs quaestionum varii generis, sed nihilominus inter se cohaerentes in hōc conexū multiplici respiciendi sint atque in quos investigatione scientificā magis incumbendum sit.

2.3.3.1. De regione missionaria in Africa Orientali accepta

Mense Aprili a. 1887ⁱ aliquatenus ex improvise P.ri Andreae Amrhein quaestio proposita est, num missionem in Germanicā Africā Orientali suscipere vellet. Tamen etiam hic conexus est aliquatenus intricatus. Nam Cārolus Peters atque «Societas Germanico-Orientali-Africana» putaverunt missionem Christianam scopis suis propriis esse utilem. Sed in Germanicā Africā Orientali non solum missionarios protestanticos, sed etiam catholicos habere voluerunt. Cum autem colonialismus etiam cum nationalismo cohaereret, necessario catholici missionarii *Germani* quaerendi erant, cum ab missionariis aliarum nationum scilicet effectus non desideratus expectaretur. Itaque Cārolus [*Karl*] von Gravenreuth, ipse catholicus et cooperator Cāroli Peters, Monacum missus est, ut ab «Missionaria Consociatione Ludoviciana» missionarios catholicos peteret.⁹⁴ Dicuntur autem et «Consociatio Missionaria» et archiepiscopus Monacensis maximo cum gaudio hōc consilium percepisse. Cum illo tempore domus missionaria Richopagensi-Ottiliensis esset unica catholica in ipsā Germaniā, propositum ad P.rem Andream Amrhein perlatum est.⁹⁵ Quamvis ipse bene sciret vires consociationis suae ad talem rem sustentandam revera non sufficere, tamen propositum accipiendum esse existimavit.⁹⁶

⁹⁴ *Cfr* Leander BOPP: Die ersten fünfzehn Jahre unserer Missionstätigkeit in Ostafrika 1887-1902. St. Ottilien 1956, p. 7 (typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum); Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 93; Leander BOPP (1954), p. 144; Laurenz KILGER (1934), p. 223.

⁹⁵ Tamen paulo antea ipse archiepiscopus Monacensis Arnoldum Janssen epistulariter interrogaverat, num hanc missionem Africanam suscipere vellet. Sed Arnoldus Janssen epistolā die 3^o m. Apr. a. 1887^o ad archiepiscopum Monacensem directā variis ex causis hanc rogationem recusavit. Quaestio vero exorta est, utrum hōc consilium missionarium P.ri Andreae Amrhein tunc demum propositum esset, quo Arnoldus Janssen idem recusavisset, an quasi modo «parallelo» uterque illā interrogatione aditus sit. - *Cfr* Fritz BORNEMANN: Ein Briefwechsel zur Vorgeschichte von St. Ottilien. St. Augustin / Siegburg 1965, pp. 94 sqq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 93 sqq. commercio epistulari P.ris Andreae Amrhein adhibito demonstrare conatur consultationes cum Arnaldo Janssen et P.re Andrea Amrhein quasi eodem tempore factas esse.

⁹⁶ Unā ex parte P. Andreas Amrhein talem possibilitatem regionis missionariae accipiendae omittere noluit, alterā ex parte eā, quae antea regimini de missionario aspectū et culturali et nationali ipse dixerat, tunc explere debuit, denique timuit, ne se recusante tota regio Africae Orientalis protestantibus relinqueretur (tales «minae» in consultationibus cum Cārolo Peters etiam prolatae sunt).

Itaque cum Cárolus Peters ipse Monacum veniret, P. Andreas Amrhein ibīdem cum eo die 12^o m. Apr. a. 1887^o ad consultationes instituendas convēnit. Quae quidem vere difficiles fuisse videntur, cum Cárolus Peters ex indole suā atque ex statū suo omnia praescribere et dirigere posse putaret. Imprimis de regionis divisione inter confessiones dissensio quaedam exstitisse videtur, cum P. Andreas Amrhein distributionem strictam vix fieri posse existimaret. In summa libertatem missionis servare voluit. Generaliter P. Andreas Amrhein revera his colloquiis positionem non tam fortem habuit quam Cárolus Peters, qui nihilominus modo exaggerato domum missionariam tantummodo instrumentum ambitionis suae propriae colonicae habuit.⁹⁷

Illo autem die 12^o m. Aprilis res solum provisorie ad finem quendam pervēnit. Cum iam paulo post Cárolus Peters unā cum Cárolo von Gravenreuth Monacum relinqueret, consultatio Romae continuanda erat, quo P. Andreas Amrhein eos secutus erat.⁹⁸ Ibīdem vero die 16^o m. Apr. a. 1887^o textus contractūs

⁹⁷ *Cfr* Horst GRÜNDER: Deutsche Missionsgesellschaften auf dem Weg zur Kolonialmission. In: Klaus J. BADE (ed.) (1982), p. 82; Leander BOPP (1956), p. 8; Leander BOPP (1954), pp. 144 sq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 99; Horst GRÜNDER: Christliche Mission und deutscher Imperialismus. Eine politische Geschichte ihrer Beziehung während der deutschen Kolonialzeit (1884-1914) unter besonderer Berücksichtigung Afrikas und Chinas. Paderborn 1982, p. 53.

Scaenam ipsam multo post P. Andreas Amrhein modo exaggerato descripsit explicans se contra modum dictatorium Cároli Peters et contra regionis divisionem arbitrariam pugnavisse et se iamiam abiturum fuisse, quā occasione ad coniunctionem suam cum Bismarckio alluderet, cum Cárolus Peters epistolā Bismarckii ad P. rem Andreā directā perlectā respisceret atque consultationes denuo institueret. *Cfr* Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 3. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 150 sqq. - Videtur tamen illa rixa nullum effectum in contractum exseruisse.

De epistula autem Bismarckiana, quam P. Andreas Amrhein in hōc conexū (atque in aliis quōque) commemorat, haec: Iam anno 1886^o P. Andreas Amrhein epistolam ad cancellarium Ottonem von Bismarck direxerat condiciones suas explicans atque interrogans, num in Borussia monasterium Benedictinum missionarium condere sibi liceret. Bismarckius scilicet hōc concedere non valuit. In responso autem scriptum esse videtur «cancellarium annisum «Consociationis missionariae Sancti Benedicti» in coloniis Germanicis pro viribus promovere atque sustentare». Tamen cancellarius non ipse respondit, sed epistolam ab filio suo Herberto scribendam curavit. - *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 145 sq.; Leander BOPP (1956), p. 8; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 100; Godfrey SIEBER (1992), p. 18; Horst GRÜNDER (1982), p. 83 adn. 58.

⁹⁸ Ab archiepiscopo Monacensi videtur P. Andreas Amrhein epistolam commendatoriam accepisse. Praeterea exstat epistula, quam Nuntius Apostolicus in Bavariā residente ad cardinalem Iohannem [*Giovanni*] Simeoni, praefectum Congregationis de Propaganda Fide die 13^o m. Apr. a. 1887^o scripserat et quā refert P. Andreā Amrhein atque

praevii, qui dicitur, constitutus est atque ab utrāque parte in proxenō Germanico Romae sito subscriptus est sub reservatione, quā et cancellarius Germaniae et Apostolica Sedes et administratio «Societatis Germanico-Orientali-Africanae» eidem assentirentur.⁹⁹ Proximo iam die Cārolus Peters et Cārolus von Gravenreuth in Africam se contulerunt.¹⁰⁰

Tamen quaedam puncta huius contractūs nobis saltem breviter inspicienda sunt. Leguntur autem ibīdem haec:¹⁰¹ Primo societati missionariae ab «Societate Germanico-Orientali-Africanā» licentia datur, quā in certā regione Germanicae Africae Orientalis opera culturalia missionariaque exhibere potest (§ 1). Deinde indicantur illae regiones, cum secundum voluntatem Cāroli Peters tota Germanica Africa Orientalis, quod attinet ad missionem, in quattuor partes dividenda fuisset, ex quibus Ottiliani duas partes non cohaerentes accepissent. Reliquae partes destinatae erant missionariis protestanticis. (§ 2). Stationes vero missionariae «Societate Germanico-Orientali-Africanā» assentiente condantur (§3). Societas missionaria usque ad finem mensis Iulii eiusdem anni primam expeditionem in Africam mittere obligatur, deinde unoquoque anno alteram (§ 4). Societas missionaria ab «Societate Germanico-Orientali-Africanā» stationem Simam pecuniā solutā recipiat, unde progrediens alias stationes condat. In domos stationum ponenda sunt et vexillum Imperii Germanici et vexillum Germanicae Africae Orientalis (§5). «Societati Germanico-Orientali-Africanae» ius est, quo ad scopos suos servandos singu-

Cārolum von Gravenreuth apud ipsum fuisse consilium de conventionem missionis catholicae in Africā suscipiendae pententes et quā P.rem Andream Amrhein eiusque rem cardinali praefectoque commendat. Copia huius epistulae Italice scriptae, cuius exemplar originale apud Congregationem de Propaganda Fide conditum est, unā cum versione Theodiscā in archivo Ottiliensi asservatur (ASO, A 2.1.1.).

⁹⁹ *Cfr* Leander BOPP (1956), p. 9; Leander BOPP (1954), p. 146; Laurenz KILGER (1934), p. 225; Horst GRÜNDER: Deutsche Missionsgesellschaften. *In*: Klaus J. BADE (ed.) (1982), p. 82.

¹⁰⁰ Dicitur Cārolus Peters minatus esse se, nisi ille contractus ab Sancta Sede acciperetur vel si īdem contra Germanica desideria nationalia mutaretur, totam Germanicam Africam Orientalem tantummodo missionariis protestanticis traditurum esse. Ceterum videntur minae methodus eius praedilecta fuisse.

¹⁰¹ De contractū *cfr* Leander BOPP (1956), pp. 9 sqq.; Horst GRÜNDER (1982), p. 54; Horst GRÜNDER: Deutsche Missionsgesellschaften. *In*: Klaus J. BADE (ed.) (1982), pp. 82 sq.; Leander BOPP (1954), p. 146; Laurenz KILGER (1934), pp. 224 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 100; Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 162 adn. 25. - Hans-Joachim NIESEL (1971), p. 41 solum tria puncta huius contractūs indicat, quae tamen non ita exacta esse videntur.

lis in stationibus repraesentans «Societatis» versetur (§6). Societas missionaria in institutionibus scholaribus linguā Theodiscā uti obligatur, nisi ad scopos generales lingua Suahelica opportunior esse videtur (§ 7). Societas missionaria ab propriā negotiatione abstinet. Omnes merces productae, quae supersunt neque in opere missionario adhibentur, ab «Societate Germanico-Orientali-Africanā» paucis lucri centesimis retributis venduntur (§ 8). Generaliter «Societas Germanico-Orientali-Africana» obligationem init, quā societati missionariae libertatem ad opus missionarium exanclandum praebet. Alterā ex parte societas missionaria omnia «Societatis Germanico-Orientali-Africanae» iura privata et nationalia agnoscit respicitque (§9). Contractus tamen indiget comprobatione Sanctae Sedis et concilii directorii «Societatis Germanico-Orientali-Africanae» (§ 10). Contractus ab «Societate Germanico-Orientali-Africanā» solum solvi potest, cum éadem demonstrare valeat societatem missionariam scopis Germanico-nationalibus nocere. Societas missionaria contractum solvere potest, cum demonstrare valeat se in libertate missionariā exhibendā impediri (§ 11).

Cum hic contractus inspiciatur, statim animadvertitur quaedam puncta esse vere difficilia et interdum inter se contradictoria.¹⁰² Variis enim paragraphis libertas missionaria et generaliter et specialiter coartatur atque supprimitur.¹⁰³ Praeterea nimis multa iura directoria «Societati Germanico-Orientali-Africanae» conceduntur. Sed problemata maxima exorta sunt ex paragrapho secundo, quo partes regionis stricte dividebantur inter missionarios catholicos et missionarios protestanticos alterā confessione exclusā. Nam talis contributio alicuius territorii, quā unā confessio religiosā solā respicitur, accipi non potuit, cum contradiceret documento Congoico, quod dicitur et quo non solum libertas religionum sed praeter alia etiam libertas missionis conceditur.¹⁰⁴ Insuper tali distributione strictā «possessionis» status missionariorum protestanticorum non respicitur neque status aliorum missionariorum catholicorum,

¹⁰² *Cfr* Leander BOPP (1956), pp. 11 sq.; Laurenz KILGER (1934), p. 225; Horst GRÜNDER (1982), p. 54 sq.; Horst GRÜNDER: Deutsche Missionsgesellschaften. *In*: Klaus J. BADE (ed.) (1982), pp. 82 sq.; Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 162 adn. 25.

¹⁰³ Alterā ex parte in paragrapho undecimo dicitur contractus solvi posse libertate missionariā suppressā.

¹⁰⁴ *Cfr* Leander BOPP (1956), pp. 11 sq.; Horst GRÜNDER (1982), pp. 54 sq.; Horst GRÜNDER: Deutsche Missionsgesellschaften. *In*: Klaus J. BADE (ed.) (1982), p. 83; Laurenz KILGER (1934), p. 225. - Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 100 de illo paragrapho solum adnotat distributione praevisā domum missionariam regiones insalubres accepisse.

qui non erant Germani, cum in illis regionibus, de quibus agitur, et Patres Spiritūs Sancti¹⁰⁵ et Patres Albi¹⁰⁶ iam pridem operarentur.

Revera ille contractus numquam validus erat, cum omnes institutiones responsales eundem propter illum paragraphum secundum ratum habere recusavissent.¹⁰⁷ Missionarii Benedictini ob hunc eventum gaudere potuerunt, cum propter hunc contractum nimis ex «Societate Germanico-Orientali-Africanā» dependissent atque instrumentum facti essent talium virorum, qualis erat Cárolus Peters et quales plures in coloniis Germanicis versabantur. Alterā ex parte ille contractus tamen erat alicuius momenti, quia Cárolus Peters eiusque cooperatores etiam ab Patribus Spiritūs Sancti postulaverunt, ut talem contractum iungerent, ne ex regione expellerentur.¹⁰⁸

Immediate postquam ille contractus praevisus propositus est, P. Andreas

¹⁰⁵ Congregatio Spiritūs Sancti anno 1703° Parisiis condita est et spectat imprimis ad institutionem scholarem atque ad missionem.

¹⁰⁶ Patres Albi, qui propter habitum huius coloris sic appellantur, anno 1868° ab archiepiscopo Cárolo [*Charles*] Lavigerie ad opera missionis Africanæ exanclanda conditi sunt.

¹⁰⁷ *Cfr* Leander BOPP (1956), p. 12; Horst GRÜNDER (1982), p. 54; Horst GRÜNDER: *Deutsche Missionsgesellschaften*. In: Klaus J. BADE (ed.) (1982), p. 83; Hans-Joachim NIESEL (1971), p. 42; Leander BOPP (1954), p. 147; Frumentius RENNERT: *Leuchter I* (1979), p. 100; Cyrill SCHÄFER: *Stella Maris. St. Ottilien* 2005, p. 33. - In periodico Ottiliensi, c.t. «*Paginae missionariae*» [*Missionsblätter* 1, 1888/89, coll. 31 sq.] sub titulo, qui est «*De missionibus nostris*» [«*Unsere Missionen*»], leguntur de hōc contractū haec: contractum, quem similem etiam Patres Spiritūs Sancti iniissent, non ad subscriptionem legalem pervenisse, quia in utroque casū praepositi societatum missionarum putavissent melius esse primo processum sequentem incepti colonici expectare, ita ut usque ad illam horam nulla obligatio legalis exstaret. - Tamen - ut vidimus - haec explicatio cum realitate non omni ex parte congruit.

¹⁰⁸ *Iidem* nihilominus hōc non fecerunt neque sequelas passi sunt. Alterā ex parte videntur primi missionarii Benedictini de exsistentiā illius contractūs scivisse, sed nescivisse eundem omnino non esse validum.

P. Andreas Amrhein circiter viginti annis post [*Anfänge und Kämpfe* 3. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 155 sqq.] explicationibus longis se defendit contra opprobria quaedam, quae cum nonnullis paragraphis illius contractūs cohaerent, et vehementer affirmavit nihil huiusmodi in contractū scriptum fuisse, e contra se documentum subscripsisse, quo nihil nisi libertas missionaria respiceretur. Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 162 adn. 25 dilucide demonstrat argumenta hic prolata realitati non convenire et ex causā defensionis memoriam P.ris Andreae Amrhein verisimiliter factā quadamtenus mutavisse. Nam quamvis P. Andreas Amrhein negaret contractum huius generis exstitisse, ipse versionem Italicam huius contractūs fecerat.

Amrhein commentarium ad Congregationem de Propaganda Fide misit, quo non solum de progressū domūs suae missionariae rettulit et explicuit, quomodo ille contractus praevis cum Cárolo Peters exortus esset, sed etiam rogavit, ut Sancta Sedes quam celerrime societati missionariae regionem certam attribueret.¹⁰⁹ Itaque Congregatio de Propaganda Fide generaliter constituit, ut Praefectura Apostolica in Germanica Africa Orientali pro societate missionariā Richopagensi institueretur.¹¹⁰ Tamen de finibus regionis aliisque rebus nihil certum dictum est. Nam ante decretum definitivum quaedam aliae difficultates solvendae erant. Cum enim et Patres Albi et Patres Spiritūs Sancti in illā regione iam operarentur, cum illis modus quidam inveniendus erat. Sed etiam hae consultationes aliquatenus protractae sunt.¹¹¹

Certe ad rem definitive decernendam auxilium episcopi Augustani non fuit nullius momenti. Ille enim mense Augusto a. 1887ⁱ coenobium Ottiliense visitavit inspexitque. Ea, quae ibīdem perceperat, videntur ei valde placuisse. Nam mense Novembri a. 1887ⁱ ipse testimonium conscripsit, cuius textus est hic:¹¹²

«*Testimonium*

Rvds. D. Sacerdos Andreas Amrhein O.S.B., Instituti ad Missionarios pro fide catholica inter ethnicos propaganda educandos ac informandos in Reichenbach Diocesis Ratisbonensis erecti fundator ac Rector, hoc anno ineunte amplum emit praedium in Diocesi Augustana situm nomine Emming, quod non solum permulta agrorum, pratorum silvaeque jugera, sed compluria etiam aedificia complectitur, quae partim habitationi partim rebus oeconomis inserviunt. Praeterea ecclesia satis spatiosa exstat, quae domui principali

¹⁰⁹ Cfr Laurenz KILGER (1934), pp. 225 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 101.

¹¹⁰ Cfr Laurenz KILGER (1934), pp. 226; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 101.

¹¹¹ Hōc quidem non est mirandum, cum utraque consociatio timeret, ne magnas partes regionis missionariae sibi propriae amitteret. - Saepe autem commemoratur Bismarckium aliquando minatum esse se omnes missionarios Francogallos ex Germanica Africa Orientali eiecturum esse et totam coloniam Germanis protestanticis ad missionem traditurum esse, nisi Richopagensibus propria regio attribueretur. Sed Leander BOPP (1956), p. 14 demonstrat tales narrationes non bene convenire cum commercio epistulari tranquillo, quod illo tempore inter Romam et Berlinum institutum erat. - Ceterum Bismarckius has minas non sine difficultate proferre potuisset, cum bene sciret talia contra documentum Congoicum esse.

¹¹² Textus originaliter Latinus. - Cfr ASO (= Archivum Ottiliense), A 2.1.1.
Cfr Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 270, qui partem huius textūs exhibet.

huius praedii annexa ad exercitia devotionis et religionis ad amussim Constitutionum facienda aptissima est.

Ego ipse mense Augusto proximo praeterlapso Emming visitandi occasionem cepi iisque, quae ibi cognoveram, satis superque fui contentus. Fratres et Sorores, qui mihi a D. Rectore introducti sunt, et externo et interno habitu se spiritu vere religioso imbutos vocationisque suae gravitate atque amore inflammatos exhibuerunt. Ii, qui primi in terras barbaras abire jam electi sunt, ardenti animo diem desiderant, quo iter ingredi jubeantur.

R. D. Rector Amrhein die noctuque rei gravissimae, cui inservire elegit, toto corde se dat ac vere omnem operam et mentis corporisque vires in munere suo adimplendo consumit. Eundem Missionis alumnis spiritum religionis ad normam monachorum Ordinis S. Benedicti Beuronensium instillare ac inferre didicisse, satis ac fructibus, quos alumni prae se ferunt, cognoscitur. Ita humillime testor.

*Augustae Vindel. in Bavaria
die 6. Novembris 1887*

Humillimus

+ Pancratius Ep. Augustanus»

Höc testimonium unā cum approbatione constitutionum earumque versione Latinā¹¹³ Romam misit.¹¹⁴ Itaque consultationibus diuturnis habitis consilium Congregationis de Propaganda Fide ab Leone XIII papa die 13^o m. Nov. a. 1887^o comprobatum est et decreto diei 16ⁱ m. Nov. a. 1887^o divulgatum est novam «Apostolicam Praefecturam Zanguebariae meridionalis»¹¹⁵ institutam atque «*novae Congregationi Benedictinae pro missionibus exteris in Germania*» traditam esse.¹¹⁶ Eodem decreto etiam fines huius Praefecturae indican-

¹¹³ De hac re *vide supra*.

¹¹⁴ Cum Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 269 scribit Pancratium von Dinkel ipsum hos textūs Romam mississe, Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 106 adn. 115 asseverat episcopum documenta P.ri Andreae Amrhein tradidisse et eundem illa secum Romam sumpsisse.

¹¹⁵ Höc nomen Praefectura accepit, quia Patres Spiritūs Sancti ex suo maximo «Vicariatū Zanguebariae» partem dederant. Eorum autem Vicariatus deinde appellabatur «Zanguebaria Septentrionalis».

¹¹⁶ *Cfr* Laurenz KILGER (1934), p. 227; Leander BOPP (1954), p. 151; Godfrey SIEBER (1992), p. 19; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 109 sq.; Leander BOPP (1956), pp. 15 sq.; Siegfried HERTLEIN: Benediktinische Missionsmethode in Ostafrika. Idee und Wirklichkeit. In: Siegfried HERTLEIN / Remigius RUDMANN (edd.): Zukunft aus empfangenem Erbe. 100 Jahre benediktinische Missionsarbeit. St. Ottilien 1983, p.

tur, qui quidem in initio tantummodo provisorii erant.¹¹⁷ Ex his vero indiciis apparet Praefecturam in parte maxime meridionali coloniae Germanicae Africae Orientalis sitam fuisse et ex area ducentorum quinquaginta milium



Fines Praefecturae Apostolicae Zanguebariae Meridionalis.
[Cfr Cyrill SCHÄFER: *Stella Maris* (2006), p. 31.]*

metrorum quadratorum constitisse. Otiliani scilicet de propriā regione missionariā acceptā valde gavisī sunt, sed magno gaudio eis etiam erat, quod in officiali documento Vaticano appellabantur «Congregatio Benedictina».

89; Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 42 nr 223; Horst GRÜNDER (1982), p. 57; Horst GRÜNDER: *Deutsche Missionsgesellschaften*. In: Klaus J. BADE (1982), p. 84; Hans-Joachim NIESE (1971), p. 43, qui scribit decretum Congregationis de Propaganda Fide die 13^o m. Dec. a. 1887^o divulgatum esse. - Restrictio tamen in eo erat, ut stationes missionariae, quae ab Patribus Spiritūs Sancti essent conditae atque in illā regione essent sitae, etiam in futurum iisdem Patribus mansuri essent.

¹¹⁷ De finibus indicatis cfr Leander BOPP (1956), pp. 15 sq.; Frumentius RENNERT: *Leuchter I* (1979), p. 110; Leander BOPP (1954), p. 151. - In periodico Otiliensi, c.t. *Missionsblätter* 1, 1889, coll. 56 sq. sub titulo, q.e. «*De missionibus nostris*» [«Unsere Missionen»], divulgata est huius decreti versio Theodisca, quā quoque fines Praefecturae exacte indicantur.

*) Nomina Theodisca in hac tabulā geographicā originaliter inveniēda terminis Latinis substitui.

2.3.3.2. *De prima expeditione missionaria deque eius calamitate*

Iam cum mense Aprili a. 1887ⁱ Congregatio de Propaganda Fide Praefecturam Apostolicam pro consociatione Richopagensi Ottiliensique instituendam constitueret, sed certam regionem eidem nondum attribueret, tamen P.ri Andreae Amrhein licentiam praebuit, quā expeditionem missionariam praepararet. Domum reversus īdem has praeparationes urgenter incohavit. Nam multae res varii generis necessariae erant, quas missionarii ad opera sua exanclanda atque ad vitam cottidianam sustentandam secum sumere coacti erant. Maximi autem momenti erat quaestio, quis primam expeditionem missionariam participaturus esset. Mense Augusto quoad fratres et mense Octobri quoad sorores P. Andreas Amrhein rem definitive decrevit. Cum Magnus Fleschutz praeter P.rem Andream Amrhein esset unicus sacerdos consociationis, non erat dubitandum, quin ipse expeditioni praeesset. Iuxta ipsum novem fratres atque quattuor sorores eligebantur.¹¹⁸

Iidem die 11^o m. Nov. a. 1887^o Sanctam Ottiliam reliquerunt atque Romam profecti sunt, ubi die 15^o m. Nov. advēnērunt. Versabantur ergo iam Romae, antequam officiale decretum papale de Praefectura Apostolica emissum est. Roma eis erat statio intermedia in eorum itinere Africano. Nam antequam in Africam vecturi erant, missionarii Romae vota sua simplicia proferre debebant.¹¹⁹ Tamen etiam hac in re difficultas quaedam exorta est, quia temporis spatium probativum, quod fratres sororesque superaverant, secundum ius ecclesiasticum nondum agnoscebatur tamquam novitiatum, cum licentia non

¹¹⁸ Erant Fr. Ildefonsus Kauer, Fr. Romualdus Hofmann, Fr. Emmeramus Muth, Fr. Petrus Michl, Fr. Benedictus Kantweg, Fr. Iosephus Irrgang, Fr. Fridolinus Braun, Fr. Rupertus Hochberger, Fr. Vendalinus Schön, Sr. Benedicta Sievering, Sr. Raphaela Kamphaus, Sr. Lioba Ellwanger, Sr. Martha Wansing.

Cfr Leander BOPP (1956), p. 227; Paulus SAUTER: Die Benedictus-Missions-Genossenschaft. Rückblick auf die ersten zehn Jahre. St. Ottilien 1894, p. 9; Bernita WALTER (1985), pp. 93 sq.; Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 42 nr 223. - Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 270 commemorat notitias Pancratii von Dinkel, qui de hac re scripserat fuisse undecim fratres et tres sorores. Cum autem Hans-Joachim NIESEL (1971), p. 42 critice adnotaret ex numerorum relatione unius patris, novem fratrum atque quattuor sororum manifeste apparere huius expeditionis accentum magis colonicam quam eius elementum missionarium, unā ex parte consociationis perceptionem missionariam non habuit perspectam, alterā ex parte nescivisse videtur illo tempore tantummodo unum patrem in consociatione fuisse.

¹¹⁹ Id quod in domo Ottiliensi nondum eis licuit.

fuisset praebita (quamquam P. Andreas Amrhein hoc putaverat).¹²⁰ Sed Leo XIII pro hōc defectū dispensum praebuit. Itaque fratres sororesque diebus 20^o et 21^o m. Nov. a. 1887^o vota sua fecerunt, habitum ordinis atque nomina monastica acceperunt.¹²¹ Iam antea, id est die 18^o m. Nov. a. 1887^o, decreto Congregationis de Propaganda Fide P. Bonifatius Fleschutz institutus est superior regionis missionariae titulo Propraefecti Apostolici.¹²²

Missionarii Benedictini mense Ianuario a. 1888ⁱ in insulam Zanguebariam pervēnērunt, ubi ab Patribus Spiritūs Sancti bene recepti sunt.¹²³ Sed paulo post Benedictini ad ipsam continentem transmigraverunt, ubi primo substiterunt in urbe Daressalam. Nam inde P. Bonifatius Fleschutz unā cum duobus fratribus expeditionem suscepit locum primae foundationis Africanae quaerens. Illum locum satis celeriter invēnit in regione collinā iuxta viculum Pugu, qui quinque horis itineris (id est circiter viginti chiliometris) ab litore distabat. Ibīdem die 7^o m. Febr. a. 1888^o prima statio Africana atque primum monasterium congregationis Ottiliensis condebatur, cum magna crux missionaria erigeretur atque prima aedificia exstrui inciperentur.¹²⁴ Illud primum

¹²⁰ Cfr Leander BOPP (1954), p. 154; Godfrey SIEBER (1992), pp. 19 sq.; Bernita WALTER (1985), pp. 95 sq.; Leander BOPP (1956), p. 22; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 109. - Interdum (ex. gr. Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 3. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 141) etiam legitur Romae monitum esse nonnullis fratribus ad integrum annum complendum nonnullos dies defuisse. In typoscripto Leandri BOPP (1954), p. 154 aliquis scripturā manuali subiunxit in rescripto nihil de «defectū temporis» inveniri.

¹²¹ Cfr Laurenz KILGER (1934), p. 228; Leander BOPP (1954), p. 155; Leander BOPP (1956), p. 22; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 109; Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 42 nr 213.

¹²² Cfr Leander BOPP (1954), p. 151; Godfrey SIEBER (1992), p. 19; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 110; Leander BOPP (1956), pp. 20 sq., qui etiam adnotationes criticas profert de usū tituli. Nam P. Andreas Amrhein affirmaverat P. rem Bonifatium esse vicegerentem ipsius (quā de causā titulum *Propraefecti* haberet) et semet ipsum institutum esse Praefectum Apostolicum. Tamen haec opinio realitati non conveniebat.

¹²³ Videtur ab initio relatio cum Patribus Spiritūs Sancti bona fuisse, id quod postea quōque variis condicionibus - etiam difficilibus - apparet.

¹²⁴ Cfr Leander BOPP (1956), pp. 23 sq.; Paulus SAUTER (1894), p. 10; Cyrill WEHRMEISTER (1939), p. 41; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 111; Frumentius RENNER: Die Benediktinermission in Ostafrika - Eine Übersicht. In: Frumentius RENNER (ed.): Der fünfarmige Leuchter. Bd. II. Klöster und Missionsfelder der Kongregation von St. Ottilien 1884-1970. St. Ottilien ²1992, p. 127; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 89; Bernita WALTER (1985), p. 131; Godfrey SIEBER (1992), p. 21. Deliberandum autem est, quam libere - ut interdum dicebatur (*cfr* imprimis Andreas

monasterium nomen Sancti Benedicti accepit.

Mensibus autem insequentibus plura aedificia firma exstruebantur, ita ut monasterium Sancti Benedicti constitit ex cappellā, ad cuius partem sinistram coenobium sororum¹²⁵ adiunctum erat, ad partem dexteram coenobium fra-



*Delineatio Africani monasterii Sancti Benedicti in loco Pugu siti.
[Missionsblätter 1890, coll. 67/68.]*

trum; porro exstitit opificinae aedificium, in quo etiam stabulum inveniebatur. Praeterea inter illas domos situm erat aedificium culinae atque lavatorii. Denique in propinquo situm erat aedificium, in quo puellae puerique recepti

AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 3. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 156 sq.) ille locus ab P.re Bonifatio revera electus sit. Nam unā ex parte territorium foundationis ab principibus localibus *et* ab «Societate Germanico-Orientali-Africanā» emebatur (*cfr* Leander BOPP (1956), p. 10; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 89), alterā ex parte non longe aberat statio, quam secretarius illius «Societatis» exstruendam incohaverat (*cfr* Leander BOPP (1956), p. 10; Bernita WALTER (1985), p. 130). Ille contractus inter Otilianos et «Societatem», quo loca foundationum praescribi potuerunt, non quidem erat validus, sed hōc videntur cooperatores «Societatis» et erga Otilianos et erga alios missionarios consulto reticuisse.

¹²⁵ Mense Martio, cum aedificia principalia iam essent confecta, etiam sorores advēnērunt. Earum coenobium appellabatur monasterium Sanctae Scholasticae.

atque docendi vivebant.¹²⁶

Ab initio missionariorum vita erat stricte monastica. Paulatim etiam bonos contactūs cum indigenis circumcirca viventibus iungere et nonnullos homines attrahere iam valuerunt. Tamen vita generaliter erat dura et propter clima aliasque condiciones, quibus Ottiliani nondum assuefacti erant, celeriter primi mortui deplorandi erant, qui feбри aliisque morbis correpti vitā functi sunt.¹²⁷ Cum autem ipsi Benedictini scirent sibi adhuc experientiam practicam deesse, P. Bonifatius Fleschutz consilia quōque ab Patribus Spiritūs Sancti petivit, qui iam diutius in Africa versabantur.¹²⁸

Sed opera quadamtenus tranquilla et efficacia tantummodo circiter unum annum durabant. Tunc Pugu quōque in eventūs politicos intrudebatur et prima Africana fundatio Benedictina maximam calamitatem perpessa est. Nam die 24^o m. Apr. a. 1888^o contractus inter Zanguebariae sultanum Said Khalifa et «Societatem Germanico-Orientali-Africanam» constitutus est,¹²⁹ quo illi «Societati» tradebatur non solum administratio regionis litoralis, quae territorio Germanico anteposita erat, sed etiam ius imperiale atque conductio telonialis.¹³⁰ Cum «Societas Germanico-Orientali-Africana» haec iura die 16^o m. Aug. a. 1888^o officialiter institueret, hōc satis incaute atque violenter fecit, ita ut politici oeconomique Arabes superiores in oppidis litoralibus suspicarentur haec iura non legaliter tradita, sed sultano erepta esse. Itaque negotiatoribus Arabibus timendum erat, ne emolumenta sua negotiandi amitterent.

¹²⁶ Pater Andreas Amrhein ipse delineationem confecerat, secundum quam monasteria Africana extruerentur. Sed videtur - ut Fr. Romualdus epistulariter rettulit - monasterium Sancti Benedicti revera hunc in modum aedificatum esse.

Cfr Bernita WALTER (1985), pp. 134 sqq.; Leander BOPP (1956), p. 24; Godfrey SIEBER (1992), p. 21. Praeter alia etiam in «*Calendario Missionario*» sub titulo, q.e. «*De primis missionariis Benedictinis in Africa Orientali*» [«Die ersten Benediktinermissionäre in Ostafrika»] de fundatione in loco Pugu factā, de aedificiis exstructis atque de primis effectibus laborum fuse referebatur (Missionsblätter 1890, coll. 59 sqq.).

¹²⁷ Velut Fr. Vendalinus Schön et Sr. Lioba Ellwanger; quidam morbis nimis affecti domum mittendi erant.

¹²⁸ Tamen hanc coniunctionem cum Patribus Spiritūs Sancti et imprimis amicitiam cum P.re Amando Acker iunctam P. Andreas Amrhein P.ri Bonifatio Fleschutz opprobrio dare solebat. - Cfr Leander BOPP (1956), pp. 44 sq.

¹²⁹ Consultationes praeviae cum sultano Said Bargasch fuerant usque tunc sine effectū, cum īdem mense Martio a. 1888ⁱ vitā functus esset.

¹³⁰ Cfr Hans-Ulrich WEHLER (1969), pp. 361 sq.; Michael PESEK (2005), p. 182; Imre Josef DEMHARDT (1997), pp. 351 sq.

Praetera iam antea cooperatores «Societatis» odium indigenarum nigritarum sibi contraxerant, quia violenter atque sine respectū agere solebant. Itaque paulatim murmurationes exortae sunt, quae denique die 20^o m. Sept. a. 1888^o «seditione Arabum», quae dicitur, erumpebantur. «Societatis» administratio, quae revera numquam exstitit, omnino in irritum cecidit.¹³¹

Primarius autem dux factus est Bushiri el Harthi, qui variis ex causis in seditionem involutus erat.¹³² Tamen eius argumenta videntur seditiosis satis attractiva fuisse et eius modus procedendi satis efficax. Nam Germani paulo post initium omnia oppida litoralia amiserant praeter urbes Bagamoyo atque Daressalam, quae quidem tantummodo Germanicis navibus bellicis adiuvantibus teneri potuerunt. Cum actiones rebellantium primo directae essent contra sedes atque administratores «Societatis Germanico-Orientalis-Africanae» et hunc in modum etiam contra negotiationis intentiones Imperii Germanici, régime Germanicum in dilemmate quodam versabatur, quia omnes relationes, quae spectabant ad «regionem tutelarem», mutarentur, si in has conflictationes se insereret. Omnibus rebus perpensis régime Germanicum tamen ad «seditionem Arabum» supprimendam et ad ordinem in regione tutelari restituendum officialiter auxilium misit. Huius actionis praetextus publice prolatus erat in eo, ut in Africā Orientali ad civilizationem humanitatemque augendam celeriter Arabica negotiatio servorum aboliretur.¹³³ Hōc argumentum erat satis validum, quia illa motio contra servitudinem, quam cardinalis Cárolus [*Charles*] Lavigerie instigaverat, etiam aliis in

¹³¹ Cfr Hans-Ulrich WEHLER (1969), p. 362; Imre Josef DEMHARDT (1997), pp. 352 sq.; Horst GRÜNDER (2004), p. 87; Leander BOPP (1956), pp. 26 sq.; Michael PESEK (2005), pp. 182 sq., qui etiam dilucide explicat modum se gerendi, quem cooperatores «Societatis Germanico-Orientali-Africanae» exhibuerunt, tantummodo ultimum incitamentum seditionis fuisse. Nam eius veram causam displosivam constitisse ex conexibus difficultatum politicarum atque socialium, quae in humanis societatibus litoralibus Africae Orientalis vigeant. Insuper hanc motionem seditiosam omnino non fuisse «monolithicam», sed compositam fuisse ex variis partibus cum diversis scopis indigentisque.

¹³² Michael PESEK (2005), pp. 187 sq. explicat illum Bushiri non solum maximum monoculturae praedium cannae saccariferae possedisse, sed eum etiam iam pridem difficultates cum re publica Zanguebariae habuisse, quae quōque cohaerebant cum aere alieno, quod Bushiri apud negotiatores Indos contraxerat. Seditionem eidem imprimis resistentiam contra rem publicam Zanguebariae fuisse.

¹³³ Cfr Imre Josef DEMHARDT (1997), p. 353; Horst GRÜNDER (2004), p. 87; Horst GRÜNDER (1982), p. 57; Hans Georg STELTZER (1984), p. 60; Michael PESEK (2005), p. 188; Hans-Ulrich WEHLER (1969), p. 363; Leander BOPP (1956), pp. 26 sqq.

rebus publicis Europaeis multas asseclas habuit. Sed cum Hermannus von Wissman tamquam commissarius imperialis in Africam Orientalem mitteretur, seditio quōque mutata est in pugnam contra occupationem colonicam.

Benedictina autem statio missionaria Puguensis effectū calamitoso his rebus immediate afficiebatur.¹³⁴ Missionarii enim Ottiliani informationes non sufficientes de condicione politicā vigente habebant. Rumores quidem de seditione audiverant, sed propter bonas relationes cum nigritis vicinis se satis securos esse putaverant. Talis perceptio rei certe non falsa erat, quod attinet ad illos indigenas, qui in propinquo habitabant et contactum cum statione missionariā habebant. Sed alii nigritae atque Arabes litorales in missionariis Puguensibus tantummodo Germanos viderunt, qui generaliter eis odio erant, et eos artē cum administratione Germanicā cohaerere putaverunt, cum iidem eādem linguā uterentur, in propinquitate duorum domiciliorum Germanicorum aedificia sua exstruxissent, vexillum Germanicum in ipsis aedificiis monstraretur.¹³⁵ In utraque parte videtur perceptio realitatis atque distinctio non iam ita viguisse.

Nuntii autem de seditione variabantur. Cum rumor exoriretur ducem Bushiri de pace constituendā cogitare, P. Bonifatius Fleschutz die 6^o m. Ian. a. 1889^o in urbem Daressalam profectus est, ut negotia necessaria ibidem perageret. Tamen post adventum percepit condiciones iterum in peius mutatas esse et statim ad monasterium suum redire voluit. Sed vehementi feбри correptus retinebatur.

In ipso loco Pugu calamitas incohata est die 13^o m. Ian. a. 1889^o.¹³⁶ Nam satis magnus grex nigritarum extraneorum, qui ab Arabibus ducebantur, vehementem impetum in stationem fecerunt. Hunc in modum factum est, ut duo fratres, una soror¹³⁷ et plures nigritae vicini, qui in statione remanserant, interficiebantur, totum coenobium devastabatur, spoliebatur atque incendio tradebatur, tres

¹³⁴ *Cfr* Leander BOPP (1956), pp. 28 sqq.; Bernita WALTER (1985), pp. 139 sqq.; Siegfried HERTLEIN (1983), pp. 90 sq.; Godfrey SIEBER (1992), p. 21.

¹³⁵ *Cfr* Leander BOPP (1956), p. 15, qui adnotat hōc vexillum Germanicum insuper albam crucem in medio habuisse, ex quā apparuisset esse stationem missionariam, sed seditiosos hanc differentiam sublimem distinguere non potuisse.

¹³⁶ *Cfr* brevius Paulus SAUTER (1894), p. 11; Cyrill WEHRMEISTER (1939), p. 43; Frumentius RENNER: *Leuchter I* (1979), p. 127; Siegfried HERTLEIN (1983), pp. 90 sq.; Godfrey SIEBER (1992), p. 21; fusius Leander BOPP (1956), pp. 29 sqq.; Bernita WALTER (1985), pp. 141 sqq.

¹³⁷ Fr. Petrus Michl, Fr. Benedictus Kantweg, Sr. Martha Wansing.

fratres partim graviter vulnerati atque reliqua soror¹³⁸ in captivitatem abducebantur. Duobus autem fratribus¹³⁹ contigit, ut aufugerent.¹⁴⁰ Sic totum coenobium et insimul totum inceptum missionarium deletum est.

Causae vero, cur seditiosi hanc stationem missionariam aggressi sint, sunt variae.¹⁴¹ Imprimis - uti iam commemoratum est - illa suspicio, quā missionarii Benedictini artē cum «Societate Germanico-Orientali-Africanā» cohaerere putabantur, multum ad ipsum impetum hostilem attribuisse videtur. Alterā ex parte mense Decembri a. 1888ⁱ circiter quinquaginta servi ab Germanis violenter liberati in stationem missionariam recepti sunt, quo facto animi ducum seditionis instigati sunt. Porro unus ex ducibus Arabibus in colloquio cum captivis habito affirmavit se impetum faciendum non iussisse, si missionarii epistulas explicatorias misissent se esse pacificos neque se hōc bellum participare. Talem gestum videntur missionarii omisisse, cum putarent per se intellegi se esse «patres» pacificos. Denique missionariis quaedam aliae res opprobrio dabantur, velut eos aedificia stationis structione fortiora reddidisse et sim.¹⁴² Tamen ex talibus rebus apparet stationem missionariam iam antea

¹³⁸ Fr. Romualdus Hofmann, Fr. Rupertus Hochberger, Fr. Ildefonsus Kauer, Sr. Benedicta Sievering.

¹³⁹ Fr. Iosephus Irrgang, Fr. Fridolinus Braun.

¹⁴⁰ De eventibus in ipso impetū, in captivitate atque in fugā factis *cfr* Leander BOPP (1956), pp. 29 sqq.; Bernita WALTER (1985), pp. 141 sqq. - Sed *cfr* etiam relationes illorum, qui testes victimaeque illius impetūs fuerant: «Das große Sühn- und Brandopfer zu Pugu»: Missionskalender 1890, coll. 71 sqq.; «Glückliche Flucht»: Missionskalender 1890, coll. 85 sqq.; «Erlebnisse und Leiden in der Gefangenschaft»: Missionskalender 1890, coll. 91 sqq.; «Das große Sühn- und Brandopfer zu Pugu»: Missionsblätter 1, 1889, coll. 433 sqq. (hic textus, qui personā primā ex aspectū illorum, qui aufugere valuerunt, compositus est, videtur ab F.re Fridolino Braun scriptus esse).

¹⁴¹ *Cfr* Leander BOPP (1956), p. 32; Bernita WALTER (1985), p. 140.

¹⁴² Ceterum in archivo Ottiliensi pagina quaedam vetus hōc in conexū scitū dignissima asservatur. Eādem enim continentur notitiae manū scriptae, quarum superscriptio est «*De mendis, quae in loco Pugu commissa sunt et quae ad eius calamitatem aliquid attribuerunt*» [«Fehler, die in Pugu begangen wurden und zu dessen Unglück beitragen»] (ASO, Daressalam 6). Illi paginae neque dies annusque neque nomen auctoris adscribebantur. Tamen, ut ex aspectū chartae atque scripturae et ex argumentis apparet, unus ex illis primis missionariis has notitias breves fecit. Ipsa scriptura manualis difficulter legitur, cum sit parva atque textus celeriter obiterque compositus sit. Undecim autem punctis breviter res enumerantur, quae partim spectant ad condiciones, quibus respectis impetus fortasse vitari potuisset, et partim pertinent ad coenobii quaestiones internas.

bene observatam esse.

In patriā autem Ottilienses nuntium de violenti interitū monasterii missionarii, de victimis interfectis atque de fratribus sororeque captivis territi atque maestitiā pleni perceperunt. Quamvis solacium quoddam in eo esset, quod duo fratres aufugere potuerunt atque P. Bonifatius Fleschutz superstes erat, tamen curae remanserunt, quid de captivis fieret.¹⁴³

Diu autem consultationes de eorum liberatione protractae sunt.¹⁴⁴ Nam Bushiri praeter alia postulavit, ut quidam Arabes ab Germanis capti liberarentur et ut «Societas Germanico-Orientali-Africana» ex regione litorali Africae Orientalis se retraheret. Maxima vero difficultas erat in eo, quod officiales repraesentantes Germani hōc concedere noluerunt neque missionarii capti eis erant magni momenti, ita ut iidem consultationes iam finire vellent. Revera liberatio missionariorum Ottiliensium debetur Patribus Spiritūs Sancti, imprimis P.ri Stephano [Étienne] Baur, eorum superiori in urbe Bagamoyo, qui indesinenter atque indefesse in hanc rem incubuit periculum propriae vitae non respiciens.¹⁴⁵ His contentionibus denique factum est, ut captivi die 11^o m. Mart. 1889^o liberarentur.¹⁴⁶

Omnes autem missionarii superstites domum revocati sunt. Primum autem Ottiliense conamen missionarium finitum erat ruinā magnā.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 176, 2009, 173-212]

¹⁴³ Primum nuntium de calamitate Ottilienses acceperunt die 16^o m. Ian. a. 1889^o tēlegraphēmate ab editore Coloniensi nomine Bachem misso.

¹⁴⁴ Cfr Leander BOPP (1956), pp. 34 sqq.; Bernita WALTER (1985), pp. 145 sq.; Siegfried HERTLEIN (1983), pp. 30 sq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 149 sqq.; Godfrey SIEBER (1992), p. 22.

¹⁴⁵ Cfr Leander BOPP (1956), p. 35; Bernita WALTER (1985), pp. 145 sq.; Hans-Joachim NIESEL (1971), p. 94; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 149 sq. - Secundum Leandrum BOPP (1956), p. 35 P. Bonifatius Fleschutz iam antea dixit, si captivi liberarentur, tunc Germanos, «Societatem Germanico-Orientali-Africanam», admiralem consulemque in hac re minimum meritum habere.

¹⁴⁶ Iam die 28^o m. Febr. a. 1889^o Fr. Rupertus propter gravem vulnerationem dimissus est, deinde in initio m. Martii Fr. Romualdus propter valetudinem suam affectam.